IOANNIS FABRICII

Sereniſs. DVCIS Brunſvic. ac Luneb.
Conſil. eccleſ. Abbatis Regiae Luterae, &
S. Theol. D. ac Prof. in acad. Iulia
primarii

DEFENSIO

Qua

Ad obiectiones, contra ipſius Conſiderationem variarum controverſiarum, ut & Guil. Forbeſii librum, & Compendium Regulae Veronianae

ab eodem edita, a quibusdam prolatas reſpondetur.

CVM SOLENNI PROTESTATIONE

Ipſum neque *Libelli germanici* de licito ab una religione ad alteram tranſitu, qui prodiit A. 1706, auctorem eſſe, neque *Reſponſum* in celebri quadam ſuperioris Germaniae urbe nuper impreſſum pro ſuo agnoſcere.

HELMSTADI,
Apud Georg. Wolfg. Hammium, Acad. Typogr.
∞ IↃCCVII.

GENVINAE VERITATI VERAE CARITATI CARAE SINCERITATI SINCERAE MODERATIONI

ET

MODERATO ZELO

OMNIBVSQVE VIRTVTVM AC DOTIVM ISTARVM AMATORIBVS ATQVE AESTIMATORIBVS

SCRIPTVM HOC

L. M. Q. DICAT CONSECRATQVE

AVCTOR

INSANI RIGORIS ET INANIVM RIXARVM OSOR PERPETVVS.

PRAEFATIO
AD LECTOREM.

SIcuti nullus liber aut tractatus, ne ipsi quidem diuini atque a Deo inspirati, a perversione & sinistra interpretatione, dummodo sint, qui animum illuc applicare velint, liber atque immunis manere potest, ita etiam meae *variarum controversiarum Considerationi*, anno 1704 in publicum emissae, idem evenit. Vix enim prodierat, ecce illico surrexit professor logices & metaphysices in gymnasio inclytae urbis, S. E. & *Animadversiones*, ut vocat, ei opposuit, neque temperare sibi potuit, quin etiam in sequentibus suis scriptis inimicitiam erga me gereret. Hunc mox secutus est discipulus, M. P. Z. qui *Epistolam* ad me scripsit, qua dissensum a parente meo, tanquam magnum crimen, mihi exprobrat. Neque hoc scriptulo contentus esse poterat, nisi etiam in *Historia colloquiorum & Solida demonstratione* subinde stylum contra me verteret. Istum excepit *Relationum*, ceu appellat, *innocuarum* collector, idemque S. theol. D. & Superintendens, V. E. L. qui non tantum in illis de A. 1704 & 1705 me adortus est, verum etiam in

Arcanis contra papatum iudiciis Dei p. 5 & 160 hostilem animum declaravit, & bonam partem sive suorum sive alterius *Monitorum generalium*, nescio quo consilio germanice reddidit. Sed utinam intra terminos oppositionis & humanitatis substitissent illi auctores, & disceptationem ita instituissent, sicut requirunt leges sacrarum disputationum & ipsius christianismi! Verum enim vero tantum abest, ut hoc ab illis observatum sit, ut potius falsis imputationibus, verborum detorsionibus, sinistris interpretationibus, multisque & magnis iniuriis ac conviciis me onerare laborarint, atque inter se quasi certarint. Dubia non oblata, sed anxie quaesita: errata non inventa, sed ægre conficta & artificiose incrustata: saepe accusationes in genere, & sine probationibus factae: clamatum de periculo, ubi plane est nullum: heterodoxia obiecta ab iis, qui quid doceant orthodoxi aut ignorabant, aut prae affectuum intemperie recordari non poterant: arma non pro Dei & veritatis gloria, sed pro hypothesium & communis moris, quo controversiae tractantur, nec non auctoritatis Doctorum defensione sumpta & usurpata sunt. Scilicet qui certarum positionum, & consuetae controversias proponendi viae, qua non tam spectatur, quid adversarii doceant, quam quid dicantur docere, ac caecae praecedentium magistrorum servitutis Dianam non adorat, is

pro

pro Numinis violatore, ac profano homine ab illis Veiovibus habetur, declaratur, & fulmine, sed inani tamen & bruto, percutitur. Certe primus adversariorum meorum in Procemio suarum Animadversionum rotunde fassus est, se *ob sententiam meam de Reformatis, quod fundamentum fidei integrum servent*, non potuisse libri mei refutationem intermittere. Quae ratio si valet, pari iure contra alios multos tam theologos quam politicos, qui ita mecum sentiunt, aut etiam citius contra me, qui semper sic sensi & docui, scribere potuisset. Quum autem ego ipsi omnem, ut in aliis, ita etiam hoc in puncto, sentiendi libertatem permittam, neque eum unquam ob hoc aut aliud placitum vel verbulo tetigerim, refutaverimve, & sententiam meam, aut potius aliorum, a quibus tamen me non abire fateor, occasione sic ferente, & sine alterius oppugnatione aut condemnatione proposuerim, annon aequum fuisset, ut idem iuris beneficium ille mihi concessisset, paremque humanitatem & moderationem erga me exercuisset? aut, si ex subitaria novi contentiosi scripti structura voluptatem capere, gloriamque sibi promittere potuisset, cur a cavillis, iniuriis, & conviciis, quae viris bonis & honestis minime competunt, non abstinuit? Idem vero, quod primum antagonistam tangit, ad reliquos etiam spectat, & ad tertium, (sub quo etiam *monito-*

rem lucifugam intelligo: qui legat, quae (1) Rauppius ſcripſit de conviciatoribus anonymis, & pius (2) Melanchthon de ſimili monitore, atque in duplici hoc ſpeculo ſeſe diligenter intueatur) maxime omnium: quanto enim is magis, ratione muneris, & axiomatis doctoralis, inter illos eminet, tanto plus a duriore illo & maledico refutandi genere ſibi temperare debuiſſet, ne forte ſplendorem impetrati honoris & ſanctitatem miniſterii contaminaret, impotentiaque animi & ſtyli acerbitate iis, quibus exemplo eſſe debet, ſcandalum daret, & quod una manu exſtruit, altera deſtrueret. *Tantaene* enim *animis caeleſtibus irae?* Defenſio quidem veritatis praetenditur; ſed o miſeros illos, qui bonam cauſam, ſi quam habent, male agunt! Non eget veritas conviciis & calumniis, neque etiam detorſionibus & pravis imputationibus, tanquam defenſoribus, ſed nude ac ſimpliciter propoſita, pulchritudinem & vim ſuam quoquoverſus diſpergit. Neque ſummus omnium, qui in terris fuerunt, doctorum & magiſtorum, idemque dominus ac praeceptor noſter, cuius exemplum ſequi debemus, Ieſus Chriſtus, Sadducaeos, & Phariſaeos ac Scribas ob dogmatum diverſitatem maledictis refellere ſtuduit, ſed arma ex ſacris literis deſumpta modeſte tractavit, & ſi eos increpuit, factum id eſt non propter diſſenſum in

(1) L. de Lege p. 379. (2) Parte II. Epiſt. p. 23.

in quaeſtionibus ſcholaſticis, ſed propter hypocriſin, ſuperbiam, gloriationem, avaritiam, & alia quibus dediti erant vitia, & quidem ſine omni iniuria, quippe quam ſanctiſſimus ille pectorum cognitor evitare poterat, quum homines alii, de alterius intentione iudicare audentes, facile noxam ſibi poſſint attrahere. Et quae tandem illa eſt veritas? divina ne, & coelitus nobis tradita? Minime: nam in nullo articulo fidei ab adverſariis meis diſſentio; ſed, quia non, ut illi, Pontificios aeque ac Reformatos in fundamento fidei errare doceo, protinusque condemno, & inprimis curae cordique mihi eſt, ne diſſentientibus aliena ſententia impingatur, atque ut probe diſtinguatur inter credenda & non credenda, nec tam curo, quis ſcripſerit, quam quid, & quo fundamento ſit ſcriptum: hinc illae lacrymae, illa lamenta, illi motus, illi clamores, illi tumultus. Candor & moderatio perferri nequeunt, & ſub ſpecioſo orthodoxiae nomine, cum eorum, qui iiſdem opinionibus, variiſque animae paſſionibus obnoxii ſunt, coeco applauſu & approbatione, magno molimine oppugnantur. Neque ignotum eſt myſterium iniquitatis, quod invidia & odium eorum peragit, qui, quum alia ratione nocere non poſſint, alios inſtigant & excitant, ut bellum vel continuent, vel ſuſcipiant, & hunc in finem qualibuſcunque eos ſuppetiis inſtruunt. Scili-

cet diaboli proprium eſt,ut alterius famae & gloriae detrahere nitatur,& ſub ſchemate angeli lucis,quum tamen ater ſit & leo immanis, obambulet, manibus pedibusque laborans, quo eum, quem odit, ſive ſuo, ſive aliorum ore ſi non devoret, tamen laceret; etiamſi Deus impiis obſtet conatibus, ~~& ignominia~~ eumque intra certos, quos transgredi nequit, terminos contineat, gravitatemque manus ſuae cum horrore perſentire cogat. Ego vero dum hæc agebantur tacui,& ſilentii mei, nî totus fallor, habui cauſas graves & ſonticas. Nam ex hiſtoria noſtri & praeteritorum temporum abunde didici, mutuis diſputantium ſcriptis nihil profici, aut unquam ad finem perveniri, ſed aeternas, praecipue inter theologos, fieri lites, nec niſi tremenda mortis falce reſecari. Vnde propoſitum cepi, me nulli adverſario, ſi qui mihi obtingerent, reſpondere, & pugnam cum eo inire, ſed bonas horas melioribus ſtudiis impendere velle. Quod conſilium ſicut in ſe bonum & inculpabile eſt, ita omni tempore, atque etiam nuper fuere magni & prudentes viri, qui id probarent, meque in eo confirmarent. Habeo etiam pro me aliorum inſignium autorum exempla, qui contra quaedam adverſariorum ſuorum ſcripta nullo ſe verbo vindicarunt, videlicet (1) Lutheri, (2) Melanch-

(1) Tom. IIX Ien. germ. f. 178. (2) Part. II Epiſt. p. 309.

lanchthonis, (1) theologorum academiae Iuliae, (2) G. Calixti, eiusque discipuli (3) Breleri, atque inter ecclesiae patres, (4) S. Basilii. Cumprimis quia antagonistae mei, optime dicta pessime interpretati sunt, & circa intentionem ac operam meam, eiusmodi mihi iniurias & convicia, utpote *extenuationem, collusionem cum veritatis hostibus, adulationem, palliationem, syncretismum* & similia alia, quae referre piget, dixerunt atque intulerunt, de quibus nemo quam solus Deus iudicare potest. Huic igitur, ut infallibili cordium scrutatori & iustissimo iudici, rem omnem commisi, meaque conscientia, & causae bonitate, quam multi ingenui, pii, & doctissimi viri agnoscunt, sequentibusque dictis me solatus sum: (5) *Nihil tam circumspecte dici potest, quod calumniam evitare queat.* (6) *Nullum adversus calumnias scutum innocentia tutius.* (7) *Si quis mendacia dicat, aequo sperne animo.* (8) *Indignis si maledicitur, maledictum id esse dico; si dignis, benedictum est, meo quidem animo.* (9) *Ad convicia promti, atque in iis facundi, non habent spiritum Dei.* (10) *Quia veritate non possunt pugnare, lacerant conviciis.*

(1) G. Calixt. in Refut. VVelleri §. 13. (2) F. V. Calixt. in Praefat. Refutat. Harmon. Calixt. a 4. (3) In Epist. dedic. Vindiciar. pro Myster. iniq. pseudoev. (b) 5. (4) Tomo II. oper. epist. 43. p. 43. (5) Apol. Aug. confess. de Ecclesia §. *Septimum.* (6) Thomasin. in Petrarcha redivivo p. 42. (7) Pythagor. in Carm. aur. (8) Plaut. in Curcul. a. 4. sc. 2. (9) Acont. de Stratagem. satan. 211. (10) Hieron. contra Helvid.

viciis. (1) *Periit iudicium, postquam res transiit in affectum.* (2) *Convicium qualecunque sit, tolerabile est his, in quorum animis Christi prudentia & doctrina habitat.* (3) *Nihil potest esse fortius, quam audire noxia, & non respondere contraria.* (4) *Quid ab officio hominis christiani alienius esse potest, quam virum bonum nihil tale merentem tam insigni iniuria afficere?* Sed quoniam multorum animi eiusmodi scriptis turbari & occupari solent, nec quivis lector imbecillitatem argumentorum assequi & observare valet, iudicarunt alii, & quidam etiam inter ipsos silentii mei approbatores, saltem semel pro semper aliquid reponendum esse. Cui consilio, ad exemplum (5) S. Basilii, tandem locum dedi, ita quidem, ut intra privatos parietes, in usum studiosae iuventutis, *argumenta adversariorum* ex ipsis eorum schediasmatibus ingenue proponerem, & modeste placideque, silentio praeteritis contradicentium invectivis & maledictis, imo & ipsorum nominibus, ad ea *responderem*. Atque ea, quae tunc tractata a nobis fuere, iam in publicum emitto, non ut bellum persequar & prorogem, sed ut discentium & amicorum atque fautorum desiderio satisfaciam, pariterque pate-

(1) Augustin. contra Iulianum. (2) Tertullian. apologet. c. 2. (3) Cassiodor. in ps. 37, 15. (4) Pflug in ep. ad Erasmum, quae subiuncta est huius Commentationi de Eccles. concord. p. 162.
(5) Loco citato.

patefiat, sacris in disputationibus rem ipsam, citra commotionem iræ contra adversarios, quantumvis iniquiores & acerbiores, atque adeo etiam sine conviciis & iniuriis, considerari & expendi posse. Nihil mihi rei est cum antagonistis ipsis, neque eorum claritatem aegre fero, eademve mensura, qua mihi sunt mensi, iis remetior, sed nude eorum argumenta atque obiectiones examino, & innocentiam meam vindico. Si quis autem est, qui non acquiescere, sed novo me scripto lacessere velit, is sciat, me a pristino proposito non amplius recessurum, sed generoso silentio inanes eius ausus vindicaturum esse: nam ad eorum propulsionem, meique defensionem, nulla alia re opus est, quam pia & sincera libri mei cum oppositis collatione & expensione. Is se satis defendet, vel absque mea aut alterius ope; & sicuti hoc tempore, contra quam hostes credunt, aliisque persuadere conantur, non tantum multis nostratium, interq; eos magnis & illustribus summisq; viris in pretio est, sed etiam dissentientibus ob candorē & moderationē laudatur, quorū omnium *testimonia & iudicia*, ut pudefiant obtrectatores, sub finem exhibebo, ita etiam post fata mea vivet, quamdiu locus erit veritatis, candoris, & moderationis studio, & vivet eo laetius, quo minus invidia & odium malevolorum ei nocere poterunt. Interim si quos forte errores in illo commissos, ut sumus ho-

mines, vel ipse observavero, vel alii vere & humaniter indicaverint, eos non tantum lubens agnoscam & publice communicabo, sed etiam monitoribus magnam & singularem habebo gratiam: ut enim errare humanum, ita in errore perseverare, eumque occultare, semper mihi visum est inhumanum, immo diabolicum. Hinc sancte affirmare possum, si ea, quae ut errata mihi obiecta sunt, talia fuissent, atque animus meus de illis convictus esset, me iam nunc publice confessurum, Deoque & almae veritati gloriam sic daturum esse: quemadmodū errorē de monumento quodā praetorii patavini, ad informationem celeberrimi Magliabechii, olim peculiari scripto recantavi, ac denuo indicavi in Amoenitat. theolog. p. 668. Denique, quoniam ex variis indiciis cognovi, me reputari auctorem *scripti germanici de Licito transitu ab una religione ad alteram*, quod prodiit anno superiore, publice heic & solenniter profiteor atque protestor, me illi scribendo edendove neque mentem, neq; manum admovisse. Hoc autem non alium in finem scribo, quam ne id, quod meum non est, sed alterius, pro meo temere mihi tribuatur. Vale, benevole Lector, omniaque, missis praeconceptis opinionibus, in timore Dei, & caritate proximi considera, expende, & diiudica.

EX

EX S. E.

ANIMADVERSIONIBUS.

IN PRAELOQVIO.

Obj. 1.

A*Utor Considerationis, Reformatos fundamentum fidei integrum servare, lectori persuadet.* ℞. Bene se res haberet, si pagina fuisset citata. At vero ego non hoc ago, ut persuadeam, sed auctores, qui ita senserunt, quibusque me accedere non diffiteor, cito ac nomino p. 519.561.582.597. Et hac de veritate ita convictus sum in conscientia mea, ut ea salva contrarium statuere nequeam. Immo hac sententia lyceum hoc nostrum, in & extra Germaniam, bonam sibi famam acquisivit, & moderationis laude floruit floretque. Interim libertatem dissentiendi aliis lubentes relinquimus, neque ullam iis propterea movemus disputationem.

Obj. 2. *Idem ineundae cum iis unionis viam aperit.* ℞. Meus scopus non fuit negotium henoticum, sicut diserte profiteor in initio præfationis in Gul. Forbesii Considerat. controvers. his verbis: *Viam pacis ecclesiasticae sternant, consiltaque irenica, etiamsi non requisiti fuerint, suppeditent alii, qui recte se facere existimant; ego alienis negotiis me nolim immiscere,*

 atque

atque in re ad summas Potestates pertinente, non rogatus, sententiam dicere: sed tractavi controversias, ut decet doctorem academicum, easque praelegi & dictavi studiosis: ad quos certe minime omnium pertinet istud negotium. Equidem, dum secundum attentã & iustam status controversiae considerationem quaestiones examinantur, & solicite cavetur, ne quid alieni adversariis tribuatur, multae exspirant, aut leviores deprehenduntur, atque sic via ad ineundam concordiam facilior redditur; sed ego, ut dixi, magni illius operis intentionem non habui, nec habere potui. Ceterum fateor, me singularem pacis & concordiae ecclesiasticae amicum esse, eamque desiderare & optare, quam qui maxime. Placent, quae hac de re scripsit G. Calixtus, Nic. Hunnius, & alii. Placet propositum magni Gerhardi, qui aliquando G. Calixto, prout hic testatur in Resp. ad Hülsem. Meist-Must. §. 112, coram affirmavit, *animum suum dudum occupatum fuisse expendendis modis & mediis, quibus sarciri queat concordia: sibique cogitationes illas ita meditatas esse, ut nullo negotio in chartam possint effluere.* Placet desiderium & pia prudentia decoris academiae wittebergensis, L. Hutteri, in praefat. Irenici sic scribentis: *Quis fidelium vel ita publicae privataeque salutis prodigus, vel* a pacis studio *adeo alienus esse possit, ut super contritione Iosephi non ingemiscat, & pacem ecclesiae stabilem firmamque suo etiam sanguine redimat? Non, crede nobis, lector optime, non adeo feri, aut immanes, vel potius adamantini sumus, ut sine lacrymis & gemitu, Europae fatiscentis & undequaque rimas agentis statum intueamur: non* εκ πλειονων των κακων *sumus numero, qui tyria, quod dicitur, maria concitemus, qui concordiam Evangelicis invideamus, qui dissidiorum faces accendamus, qui denique accensas iam, & nimium*

mium quantum ardentes fovere magis, & frigidam suffundere, quam in primis potius favillis sopire & compescere studeamus. — Neque enim ita insanimus, quin cognitum perspectumque habeamus, pace ecclesiae pacem nostram contineri, & a tranquillitate ecclesiae, ipsius etiam reipublicae incolumitatem pendere: quam qui temere turbandam existimant, nae illi pestes sunt & carcinomata humanae societatis; immo immanes bestiae, humana sub figura animum belluinum occultantes. --- Quemadmodum vero hac scriptione mea neque nostris ecclesiis quicquam praeiudicare, *neque* sanioribus consiliis *locum praeripere gestio, ita totum hunc meum discursum volo esse* praeparatorium *ad eam deliberationem, quae forte, si ita necessitas ferat, de hoc ipso negotii genere aliquando* inter Theologos & Politicos (*ad utrosque enim provinciam hanc pertinere arbitror*) *instituetur.*

DE COENA DOMINI.

Pag. 2. Obi. 1. *Calviniani sunt appellandi, qui Calvini & asseclarum eius errores tuentur, ac Calvinianorum nomine ipsi non raro utuntur.* ℞. Appellentur sic, per me licet. Quoniam vero haec appellatio iis plerumque exosa & molesta est, ideo ab ea abstinere volui, ne durities hoc modo adhibita disputationem nostram, statim in limine, ingratam & invisam redderet: quid enim, quaeso, decedit causae nostrae, si ab ista appellatione, quam certo scimus adversae parti esse sudem in oculis, abstineamus? Annon heic iuvat liberales esse vocabulo aliquo, & oculos in rem ipsam intentos habere? Vide p. 485. 486. & CL. D. Loescheri Plen. Hist. mot. inter Evang. Luth. & Reformat. p. 3.

Pag. 3. Obi. 2. *Calvinianis, dicentibus, se credere veram & substantialem corporis & sanguinis Christi praesentiam*

in S. coena, non est credendum, quia non serio & ex animo loquuntur. ℞. Si hoc valet, omnis fides humana periclitabitur. Vide G. Calixti Epicris. ad Colloq. thorun. n. 19. Et sic Reformati idem nobis possent obiicere. Ipsi autem contra istam imputationem protestantur in Conf. bohem. 194. Christl. Gespräch 2. Wanders-Leute 256. Admonit. neostad. 27. 96. Gessel. Hist. eccl. P. 2. 723. Ausführl. Bericht / was die Reform. Kirch. in Teutschl. glauben / oder nicht glaub. 16. 18. & in Append. illius libri p. 2. & alibi.

Pag. 4. Obi. 3. *Confessiones Calvinianorum contrariam doctrinam tenent, & nostram doctrinam conviciis proscindunt,* ℞. Non nisi ex falsa hypothesi, quasi nos statueremus, corpus Christi a nobis in S. coena corporali modo, sicut vulgarem cibum, comedi, comminui, deglutiri. Vide p. 498. 499. 516. Postquam autem clare & perspicue proposui sententiam nostram de illa Christi praesentia, atque ostendi p. 516. quos praesentiae modos ipsimet reiiciamus, tantum abest, ut id improbarint & conviciati sint, ut potius variis in terris librum meum probarint, & encomiis ornarint, disserteque testati sint, sese Gul. Forbesii dogmati (quod refero p. 528) toto pectore subscribere. Vide etiam celeberr. D. Strimes. de Consensu Evang. & Ref. 63. Neque observat adversarius, me disputare κατ ανθρωπον, & sententiam nostram de vera & substantiali corp. & sanguinis Christi in S. coena praesentia, ipsorum consensu confirmatum ire; adeoque ipsi & aliis confessionis nostræ sociis exspectandum fuisset, donec Reformati, si dissentiunt, sese opponerent.

Obi. 4. *Consensus Sendomiriensis ad oppressionem Lutheranorum spectavit.* ℞. Hoc facilius dicitur, quam probatur, & legendum, quod posui p. 500. nec non insignis *Strimesius* in Vin-

Vindiciis illius p. 15. Interim ego eius testimonio haud male uti potui. Hutteri dissensus mihi non obest, multaque in eius verbis probatione indigent.

Pag. 5. Obi. 5. *Scopus, est gratiae Calvinianorum aucupium.* ℞. Si autor id mihi imputat, fallitur; iudiciumque hac de re ei relinquendum est, qui intima pernoscere, & corda hominum scrutari valet. Nunquam ego tam abiecti animi fui, ut aliis adulari studuerim. Quin candor & integritas mea, saepe mihi inimicos excitavit.

Pag. 6. Obi. 6. *Calviniani perfidia usi sunt circa Colloquium lipsiense.* ℞. Si hoc verum esset, minime tamen obesset mihi: ego enim collocutorum verba allegavi p. 501. quae negari non possunt.

Obi. 7. De *Confessione Thoruniensi agnoscit G. Calixtus, eam altera manu abstulisse, quod altera dederit.* ℞. Ad hanc obiectionem respondi *p. 516.* Quod autem dicit adversarius, *Calixtum in isto colloquio se Calvinianis iungi passum esse*, id quidem apud rectius informatos fidem inveniet merebiturve nullam. Vide eiusdem Calixti Verantwort. contra Wellerum n. 26. &c.

Pag. 7. Obi. 8. *Calvinus non credidit substantialem praesentiam, quia negat, corpus Christi in coena esse invisibile, idque multis in locis simul esse, & Christum carne sua esse praesentem: contra autem contendit, Christum figurate locutum, & toto coeli & terrae spatio distare a pane & vino.* ℞. Legantur, quae habentur apud Calvinum cap. *XVIII.* §. 18 19. 30. 22. quae omnia excerpta a me sunt, & proposita p. 504 & seqq. Immo (quod simul contra oppositi scripti pag. 56 & 57 notandum) ex ipsis verbis Calvini, mens eius clare perspicitur: nam loquitur de *locali praesentia, & de corpore Christi, quatenus*

tenus finitum est, *& coelo ut loco continetur.* Num vero talis praesentiae negatio, illico tollit realem & substantialem corporis Christi in S. coena praesentiam, modo nobis incognito, attamen divina potentia fieri solitam?

Pag. 8. Obi. 9. *Reformati negant, os esse requisitum & medium, quo corpus Christi manducemus, ceu probari potest ex Conf. Belg. & Bezae Resp. ad Acta Colloq. montisbelgard.* ℞. Testimonia allegata de modo loquuntur, non de manducatione ipsa.

Pag. 10. Obi. 10. *Revocanda sunt in memoriam verba Formulae concordiae, citata in Consideratione p. 491. ubi de Calvinianis dicitur, eos credere,* (1) *Christum tanto locorum intervallo* corpore suo abesse, quanto summum coelum a terra. (2) Christi corpus & sanguinem *non adesse in terris, nisi respectu fidei nostrae.* (3) *Nihil aliud ore sumi, quam panem & vinum.* (4) *Spiritualem tantum praesentiam credere.* ℞. Data opera citare volui illa Formulæ concord. verba, ne quis calumniari me posset, si praeteriissem. Sed contra istas imputationes notanda sunt, quae aliunde adducuntur in tractatu nostro, & quidem contra primam expositio pag. 510. contra secundam Confessio thoruniensis p. 503. & doctrina Gul. Forbesii p. 528. nec non verba Ioh. Cosini, episcopi anglicani, quae adducit Strimesi. in Brevi delineat. consens. p. 64. *Fides praesentiam corporis Christi non facit aut praestat, sed iam nunc per verbum factam, verissimam & realem esse apprehendit.* contra tertiam Confessio helvetica p. 494. anglica p. 497. belgica 498. czengerina p. 499. lipsiensis p. 502. & contra quartam iterum Conf. helvetica p. 493.

Pag. 11. Obi. 11. *Quae p. 515. de modo praesentiae, ac 516. de distinctione inter praesentiam naturalem, & supernaturalem*

lem dicuntur, per se corruunt, propter monita in Tract. de Fug. un. p. 74. tradita. ℞. Diligens ac prudens lector conferat unum cum altero, perpendat, ac iudicet.

Obi. 12. *Indignatur Rintelensibus, & Luthero.* ℞. Nude & simpliciter, & absque ullo affectu, absque ulla indignatione loquor.

Pag. 12. Obi. 13. *Nullo iure nobis opponitur epistola Lutheri ad Bucerum.* ℞. Immo iure meritoque: nam profecto satis moderate hunc in modum scribit: *Et ego hoc dissidium vellem (testis est mihi Christus meus) redemtum non uno corpore & sanguine meo.* Caetera vide apud cl. Crenium P. IIX. Animadvers. phil. 144. Neque hoc, ut putat adversarius, evertitur per verba praecedentia, quibus negat dicendum esse, *neutram partem antea intellexisse alteram.*

Obi. 14. M. *Antonii de Dominis & Christ. Dreieri iudicium non valet, quia ille in religione inconstantissimus fuit, hic turbas excitavit.* ℞. M. Antonii quidem in religione inconstantia nota est, nec negari potest, tempore Dreieri excitatas fuisse lites ac turbas: sed inde non sequitur, eorum in praesente materia iudicium esse invalidum. Et prior ille iudicium suum dedit ac publicavit, quum meliori iam addictus esset religioni. Neque Dreierus litium fuit autor, sed scopus.

Pag. 13. Obi. 15. *Pufendorfio passim ea exciderunt, quae indicta esse oportebat.* ℞. Si poneretur, ita esse, an ergo & hoc eius iudicium? Eccur eundem mox testem ipse allegat adversarius in hac & seq. pagina, & quidem cum elogio?

Pag. 14. Obi. 16. *Anonymus de orali manducatione nihil commemorat.* ℞. Interim veram manducationem asserit.

Terminus, *oralis manducatio*, non eſt ſcripturalis. Et valet heic conſilium Hedionis apud G. Forbeſ. p. 376.

Pag 17. Obi. 17. *Bergii fraus ſtatim in oculos incurrit, cum ipſi* corpus Chriſti ore manducari *nihil aliud ſit, quam manducari panem, quem per ſacramentale ſignum intelligit.* ℞. Intellige hoc de phyſica manducatione, qua dentibus ac linguis noſtris comminuitur id, quod editur. Videantur autem integra eius verba, & deprehendetur, ipſum etiam alios duos ponere modos, ſub quibus oralem manducationem velit concedere.

Obi. 18. *De Syngrammate Suevico millies protrita cavillatio eſt.* ℞. An vero negari poteſt, illud conſcriptum & editum fuiſſe nomine theologorum ſuevicorum, Brentium videri eſſe eius autorem, & Luthero id ita placuiſſe, ut ſibi propoſuerit transferre in linguam germanicam? Vide de primo Cl. Rechenbergii Hiſt. eccl. p. 553. de ſecundo Calixt. de Toler. Reform. §. 58. de tertio eundem §. 57.

Obi. 19. *De Tb. Pierce videatur Diſſert. noſtra de Fug. Unione* p. 68. ℞. Ibi dicitur, Pierceum cothurnatis *praeſentiae aliquo modo realis, & corporis* νοητοῦ terminis ſe involvere. Sed de *praeſentia aliquo modo reali* nihil ibi reperitur. Per νοητὸν autem *corpus* (cum Grotio in Caſſandrum p. 294. 295.) non intelligit abſens aut imaginarium corpus, ſed id, quod animo cernitur, manibus autem palpari nequit.

Obi. 20. Quod *G. Forbeſius per oralem ſumptionem, quam negat, non niſi attritionem & deiectionem in ſtomachum intellexerit, affirmatur, non probatur.* ℞. Non opus erat probatione, cum contextus id doceat. Nam p. 374 dicit, *non corporali modo, & per oralem ſumptionem* adeſſe & ſumi. Quid clarius,

clarius, quam quod eam oralem sumptionem neget, quae modo sit corporali? Vide etiam p. 377. 378. 420.

Obi. 21. (1) *Vano conatu unio cum nova ista* (Anglorum) *generatione quaeritur* : *nec* (2) *Parkerus realem & substantialem praesentiam ex animo credere potest, quamdiu Christi humanam naturam in solo coelo esse persuasum habet.* Rx. ad 1. Ego non quaero unionem, sed tracto controversias. Distinguendum autem inter novam istam generationem, & ecclesiam anglicanam. De hac dicit Parkerus, quod ei conforme sit, tenere praesentiam in coena *realem & substantialem*, licet *modo praesentiae* non definito. Ad 2. In Parkeri verbis nihil legitur de eo, quod *humana Christi natura in solo coelo sit.* Si tamen ita legeretur, nihil aliud vellet, quam quod Christus e coelo non descendat: sicut & nos docemus cum Wittebergensibus apud Forbes. p. 377.

Obi. 22. *Strimesius tam longe a vera de hoc sacramento doctrina distat, quam Calvinus & Beza, prout cordatus lector nullo negotio animadvertet, dummodo initium pag. a I. Fabricio allegatæ inspexerit.* Rx. Inspectio autoris docebit, eum cum Calvino verae substantialique corporis ac sanguinis Christi communicationi pollicem premere. Id quod etiam diserte profitetur in Brevi delin. conf. p. 60.

Pag. 16. Obi. 23. *Comeniani testimonii exiguus, vel potius nullus valor est, quia Calviniani corporis Christi praesentiam verbis profitentur, sed non vere credunt & statuunt.* Rx. Nobis sufficit, quod ille sententiam istam verbis profiteatur. Corda non possumus inspicere: sed nec debemus suspicaces esse, praeter rationem. 1. Cor. 13, 5. Strimes. Ep iren. p. 105.

Obi. 24. *A christiana dilectione ad ecclesiasticam falsorum dogmatum tolerantiam, non valet illatio.* Rx. Talis illatio a me

 non

non fit. Melanchthon denegat fraternitatem, & quidem Zwinglio. Ego de fraternitate non loquor, sed de tolerantia, qua diversum docentes non condemnantur: neque mihi res est cum Zwinglianis, sed cum Reformatis, qui non praecise Zwinglio sunt addicti. Interim Melanchthon in ep. ad Fratres Bohemos, ipsos pro fratribus agnoscit: sicut idem & Brentius Calvinum, in huius Epistolis.

Pag. 18. Obi. 25. *Non est, quod Reformatos doctores ab haereseos crimine absolvat.* ℞. Ego non praecise loquor de Ref. doctoribus, sed de Reformatis. Ab haeresi autem & condemnatione eos etiam absolvit Hülsem. in disp. de Dogmat. ad sal. necessar. n. 17.

Obi. 26. *In doctrina de manducatione indignoruum, sui confutationem secum fert: quia nos dicimus,* (ut ipse fatetur) *indignis etiam obtingere sacramentalem manducationem, Calviniani autem negant, Christi corpus ab indignis manducari.* ℞. Intellige hoc de manducatione, quae fit modo naturali, nec non de manducatione spirituali. Quorum utrumque etiam nos negamus. Vide Strimesf. Epist. iren. p. 107. & Brev. delin. consens. in fund. fid. 68.

Pag. 19. Obi. 27. *Temeraria vox est, parum aut nihil remansurum in hac controversia, si cum Calvino &c.* ℞. Calvinus fassus est, impios corpus domini aliquo modo recipere, non vero intus percipere, id est, Christi communione non frui, seu cum Christi substantia non uniri. Iam vero & nos negamus spiritualem cum Christo communionem in impiis. Quomodo S. Augustinus dixit, *Iudam panem Domini, non panem Dominum manducasse.* Quid heic temeritatis?

Obi. 28. *Fallaciam non causae, ut causae, committit, dum indignos ad nos nihil attinere urget, quia momentum hujus controver-*

troverſiae ex verbis inſtitutionis oritur. ℞. Non controverſia a me elevatur, ſed aio, ceteris paribus non eſſe ſchiſma propter eam prorogandum. In eoque provoco ad iudicium aliorum noſtratium, inter quos etiam ſunt Rinthelenſes. Momentum controverſiae a me ibi expenditur.

Obi. 29. *Catechiſmum Lutheri obtorto collo abripit.* ℞. Inſpiciantur verba mea p. 535. ut appareat infirmitas imputationis. Nam oſtendere volo, potiſſimum in S. coena reſpiciendum eſſe ſalutarem uſum. De hoc autem utique loquitur ibi Lutherus, idemque in Colloq. marpurg. cum Zwinglio profitetur, *ſpiritualem manducationem corporis & ſanguinis Chriſti in S. coena, unicuique chriſtiano* praecipue *neceſſariam eſſe.*

DE PERSONA CHRISTI.

Pag. 20. Obi. 1. *Controverſias de perſona Chriſti non reales, ſed verbales, auctor Conſiderationis minus conſiderate pronuntiat.* ℞. Quamvis & ego ita ſentiam, nihilominus tamen eo in loco, quo antagoniſta reſpicit, non meam, ſed aliorum ſententiam propono. Vide p. 536. Itaque minus conſiderate id mihi obiicitur.

Obi. 2. *Quod Deus proprie ſit homo, proprie ſit natus, crucifixus, mortuus, & viciſſim &c. negat Pierius, & Calvinianorum noviſſimi ſcriptores. Vide Diſſert. de Fug. un.* p. 52. 53. ℞. Negant, quia inuſitatæ ſunt propoſitiones, *Deus eſt homo, Homo eſt Deus*, & quia natum, crucifixum, paſſum eſſe, Deo non competunt, ut tali, ſeu formaliter & ſubiective. Vide parentis mei Syſt. theol. 182. Baier. Comp.

theol. posit. 581. & Amoenit. nostras theol. 456. 457. Idem etiam patet ex testimoniis in Differt. de Fug. un. allegatis.

Pag. 21. Obi. 3. *In Rinthelenses invehitur.* ℞. Inspice pag. 538. ubi dico: *Quod bona cum pace virorum praestantissimorum dictum sit.* An hoc est invehi in eos?

Obi. 4 *Frigidissime regeritur, non absolute & simpliciter haec omnia negare Reformatos, sed secundum quid.* ℞. Responsio ibid. extat haec, *videndam hac de re esse Meditationem I. L. Fabricii.* Hoc autem antagonista silentio praeterit, & fallaciam facit divisionis. Ceterum cum ista Meditatione si conferantur testimonia ab adversario allegata, non contrarium, sed veritas dicti mei apparebit.

Obi. 5. *Vitandam esse locutionem, qua proprietas naturæ divinæ de humana prædicetur, non est Lutheranum.* ℞. Dreierus non simpliciter dicit, vitandam esse eiusmodi locutionem, sed addit rationem, quam adversarius omittit, videlicet hanc, *quia illa antiquae ecclesiae incognita est.* Vide etiam patris mei Syst. theol. 179. 190. & Gerh. Exeg L. IV. n 198.

Obi. 6. *Negatur, Gerhardum a Reformatis in hoc articulo non dissensisse.* ℞. Ego affirmavi, autor negat. Itaque inspiciatur Gerhardus, & conferatur cum I. L. Fabricio. Cui autem nimis longum & molestum videtur, integram collationem instituere, is ne gravetur, positis praejudiciis, periculum rei facere unica controversia de ἀλλοιώσει zwingliana apud Gerh. Exeg. L. de Christo n. 188. & apud I. Lud. Fabricium 270.

Pag. 22. Obi. 7. *Abstinere potuisset interrogatiuncula illa: Quid quaeso volumus, aut possumus desiderare amplius?* ℞. Non vanam illam esse, apparebit tunc, si experimentum fuerit factum collationis, de qua in priore diximus responsione.

DE

DE PRÆDESTINATIONE ET CAUSA PECCATI.

Obi. 1. *Gerhardum vano impetu adoritur.* ℞. Nullum in eum impetum facio, sed nude recito id, quod tribuit Reformatis. Vide verba mea p. 541. sub initium, & p. 542 sub finem. Æstimo merita insignis Gerhardi, sed eum non adoro, ut infallibilem.

Obi. 2. *Nihil praesidii oritur ex tritissimis distinctiunculis, p. 542. 543 allatis.* ℞. Non esse de nihilo illas distinctiones, quivis pie eruditus ac prudens fatebitur. Quanti autem momenti sint probationes, quas afferre nititur adversarius, prudentiores iudicabunt.

Pag. 24. Obi. 3. *Decretum reprobationis absolutum a Reformatis docetur.* ℞. Mox in ead. pag. id Particularistis tribuit. Sed quid rei nobis cum hisce? Equidem titulus in Tractatu de Fug. un. p. 5. etiam Vniversalistas eiusd. criminis vult reos peragere, sed in speciali tractatione p. 35 id non deprehenditur, neque hoc de illis unquam poterit probari.

Pag 27. Obi 4. *Falso sibi persuadet, Vniversalistarum sententiam illinc superbiae, securitati & praesumptioni, hinc ignaviae & desperationi hominum obviam ire.* ℞. Legendi hac de re sunt autores, quos citavi p. 553. Neque rationes ab autore allatae, sunt convincentes: nam prior loquitur de eo, quod fieri potest per accidens, non autem ex ipsa fluit doctrina; posterior, est mera petitio eius, quod in principio.

Pag. 28. Obi. 5. *Conringius num. 1. contra experientiam loquitur: & num. 2. & 3. partim falsa profert, partim distinguenda confundit.* ℞. ad 1. Si exemplis p. 27 Tract. de Fug. un. allatis veritas subest, vitium illud desperationis potius hominibus

minibus, quam doctrinæ tribuendum est: alioqui desperatio apud omnes doctrina ista imbutos se exsereret. Distinguendum igitur inter doctrinam & doctrinæ abusum: sicut & Gerhardus respondet abutentibus doctrina de satisfactione Christi, L. de Iustif. n. 52. Ad 2. & 3. Idem contra desperationem pharmacum sumere potest etiam ille, qui persuasus est, neminem damnari, qui in Christum credit: ipse autem se scrutari potest, num sit ex numero credentium. 2. Cor. 13, 5.

Pag. 29. Obi. 6. *Meritum Christi esse particulare ratione efficaciæ, aut ratione applicationis, falsissime & incongrue dicitur.* ℞. Ut pateat, quam vere hoc negetur, audiamus aliquot nostratium. Sic autem Mart. Chemnitius in Enchirid. p. 109. *Quod non omnes salvantur, hominum culpa fit, quia* non omnes illud beneficium accipiunt. *Ioh. 1. & 3. Necesse namque est, ut Christi beneficium seu meritum, nostrum fiat, Rom. 8. hoc est, ut nobis applicetur, ut unusquisque illud accipiat & apprehendat. Ioh. 1. — Ut autem applicatio fieri possit, duo omnino necessaria sunt: alterum, ut Deus illud beneficium offerat, exhibeat, & donet per spiritum suum, alterum, ut nos illud filii Dei beneficium, quod verbo & sacramentis nobis offertur & exhibetur, apprehendamus, accipiamus, nobisque applicemus.* Aeg. Hunnius in Tomo 1. Oper. p. 785: *Distinctio haec*, Christum pro omnibus hominibus esse mortuum sufficienter, sed non efficienter, *in vero sensu, quemadmodum in mombelgartensi Colloquio fol. 546. explicatur, reiicienda non est.* Hutterus in Locis theol. p. 787. & 788: *Phrasis*, Meritum Christi non ad omnes pertinere, *si de effectu salutari accipiatur, ipsi nos veram esse asserimus. --- Phrases, quibus nos utimur*, Christus pro omnibus hominibus mortuus est: Tulit peccata totius mundi &c. *ab illis Sacramentariorum*, Beneficium mortis Christi pertinet

pertinet ad omnes, Omnes indifferenter mundantur a peccatis, Omnes sanctificantur in Dei templum, *accurate discernendae sunt: nam priores consummationem operis, quo redemti sumus, notant; posteriores vero applicationem fide factam simul implicant.* --- *Distinctio haec,* Christum satisfecisse pro peccatis totius mundi sufficienter, sed non efficienter, *usum quidem in ecclesia Dei iam obtinuit, sed sensu orthodoxo, nempe quod meritum Christi sufficientissime satisfecerit pro peccatis totius mundi, sed effectum salutarem in maxima mundi parte non subsequi propterea, quod increduli meritum hoc per fidem sibi non applicant.* Conr. Dietericus in Instit. catech. p 530: *Nota, distinguendum esse inter* mortem Christi *ipsam, & inter* eius beneficia & fructum, *itemque* applicationem, *quae fit per fidem.* I. Gerhardus in Loco de Iustificat. § 53: *Distinguendum inter beneficii* seu satisfactionis Christi acquisitionem, *& eiusdem* applicationem: *Illa* generalis *est, siquidem Christus sua morte omnibus promeruit peccatorum remissionem; hæc vero* specialis *est, quia soli credentes, per fidem, beneficii illius participes fiunt.* Neque molestum erit adversario nostro, ut etiam parentem meum, quippe quem plus semel mihi obiicere sategit, inter testes sistam. Et quidem verba eius in Systema. theol. p. 205. haec sunt: *Distinctio hic notetur inter meriti Christi* acquisitionem *&* applicationem. *Respectu illius est* universalissimum, *ad omnes omnino homines cum ob sufficientiam suam, tum vel maxime ex prima Dei intentione se extendens: posteriore autem respectu fit beneficium hoc* particulare, *culpa hominum, qui id sibi non applicant per media, a Deo ad hunc finem consequendum ex parte ipsorum instituta.* Et pag. 371: *Alia vero hic distinctione opus inter* meriti Christi sufficientiam & efficaciam. *Cum dicimus,* Christum plenissimam pro omnium & singulorum homi-

num peccatis propitiationem peperisse, *id intelligendum est a Christo factum esse sufficienter quidem, sed non efficaciter:* sufficienter, *non tantum si pretii valorem & magnitudinem spectes, sed etiam ex intentione Dei, iuxta quam passus est hoc fine, ut omnes remissionem peccatorum per mortem eius consequerentur;* non *autem* efficaciter, *si respicias ad effectum redemtionis, qui non transit actu ad omnes, ob multorum incredulitatem & contumacem impietatem.* Hisce adde Aug. Varen. in Append. Breviarii theol. 81. Glassium in Scholiis ad Compend. Hutter. p. 151. Meisnerum in Anthropol. disp. XIII. qu. I. p. 73. Decad. II. G. Calixtum in Epit. theol. 107. & I. G. Baierum in Comp. 622. 625. 644.

Obi. 7. *Conringius partim Calvinianis, partim Synergistis patrocinatus fuit, ac conscientiae & existimationi suae rectius consuluisset, si procul habito* πολυπραγμοσύνης *studio intra suam se continuisset sphaeram.* ℞. Ille non patrocinatus est Calvinianis, ut talibus, sed veritatem candide professus est, ostendens, ex dogmate de particulari Dei gratia, per se non oriri desperationem. Nec Synergistis, quando contra liberi arbitrii omnisque συνεργισμοῦ eversores loquitur: nam *Synergistae* dicuntur, qui statuunt, hominem Spiritui S. intus conversionem operanti *propriis suis naturalibus viribus* cooperari, ac evangelio credere *ex se*, dummodo is initium fecerit accendendi fidem. Vide Form. conc. 581. 677. & Fabricii Syst. theol. 290. Conringius autem sentit cum M. Chemnitio, voluntatem humanam a Deo motam, non habere se pure passive, sed assentiri & fieri συνεργοὶ Dei. L. de Virib. hum sive Lib. arbitr. c. 7. p. 185. Si autem Conringius, professione medicus & politicus, πολυπραγμοσύνης vitium incurrit ob scripta quaedam theologica, quid fiet de

anta-

antagonista, cui non magis officium theologi demandatum est? Ceterum ille ne solidius versatus est in controversiis theologicis Conringio? Si ita putat, nec fallitur, sciat, me ipsi gloriam hanc non invidere.

Obi. 8. *In omnibus parentis* (Fabricii) *syllogismis minor propositio fundamento caret, si universalitas meriti Christi non praesupponatur.* ℞. Satis fundamenti est, ubi subsumtiones fiunt ex dictis scripturae. Neque fides homini tentato deest, immo illa, si probitate non sit vacua, eum de salute sua certum reddere sufficienter potest. p. 557. Similiter etiam argumentatur I. B. Carpzov. in Explic. Hodeget. paterni p. 263.

Pag. 30. Obi. 9. *Dogma de necessitate B. O. ad salutem, tantum abest, ut pietati promovendae inserviat, ut potius eam impediat, & ad superbiam arrogantiamque viam communiat.* ℞. Conced. si illud dogma in sensu perverso accipitur; negatur autem, si in sensu orthodoxo. De quo vide Disp. nostram (cuius quidem, utpote partis Systematis, auctor est parens meus) de Necessit. B. O. ad sal. p. 1. & seq. Et sub illo, non autem sub hoc, reiecit propositionem istam Corpus doctr. Iul. in Kurtzen und einfält. Bericht c. de Bonis operibus p. 18. b. & in Wolgegründeten Bericht p. 98. sicut dudum ostensum fuit ab antecessoribus nostris in P. 2. Gründl. Wiederleg. Buscheri p. 349. 368. & Horneio in Refutat. pasquilli c. 5. n. 25. in Iter. Adsert. n. 20. & Repetit. doctr. de Necess. B. O. n. 98. 183. 189. 204.

Pag. 31. Obi 10. *Nemo nostratium unquam ita argumentatus est:* Pro quocunque Christus est mortuus, ille est salvandus, sive credat, sive non credat. ℞. Parens meus loquitur de hominibus tentationi expositis, non de doctoribus no-

ſtratibus. Neque etiam haec firma & immota argumentatio eſt: *Pro quocunque Chriſtus eſt mortuus, eum Deus vult credere & ſalvari, atque is etiam tenetur credere, quod Chriſtus pro eo ſit mortuus. Atqui pro me* &c. niſi homo certus ſit de fide viva in ſe habitante.

Pag. 32. Obi. 11. *Quando Reformati hac phraſi utuntur,* Deum elegiſſe finaliter ſeu perſeveranter credituros, *eam callide ſic intelligunt* &c. ℞. Immo noſtrae praeviſionis fidei ſententiae accedunt, *dummodo firmum hoc maneat, fidem eſſe donum Dei, & quicquid boni in electis eſt, ex mera liberrima Dei gratia provenire*: ſicut ait famigeratiſſimus epiſcopus anglicanus, Ioſ. Hallus, cuius verba adduxi p. 561.

Obi. 12. *Bergii adſtipulatio eſt fallax & doloſa, quia Formula concord. etiam in hoc art. ſudes in oculis eſt calvinianis doctoribus.* ℞. Haec mera eſt petitio eius, quod in principio: nam Bergius a nobis p. 562 allegatus, contrarium teſtatur.

Obi. 13. *Cur, ſi non ex toto, attamen inſigni ex parte reſurgentem Petrum Muſaeum non imitatur?* ℞. Aut latet antagoniſtam myſterium iſtius reſurrectionis, aut diſſimulat. An reſurgit, qui ſe lapſum eſſe nunquam credidit? Mihi, qui clariſſimum Muſaeum probe novi, eumque heic loci docentem audivi, & ſcio, quid viri docti & ſagaces ea de re ſenſerint, quidque epiſtolae, ſecretiorum nuntiae, narrarint, longe melius nota eſt illa hiſtoria, quam carptori, eo tempore nondum nato. Immo quid multis? Legatur integer tractatus, & inde fiat iudicium.

Obi. 14. *Nec magni refert, quid Dreierus, aliive eccleſiae proditores ſcripſerint.* ℞. Contemtus aliorum, etiam bene meritorum virorum, & iacta in eos convicia, reſponſionem non merentur.

Obi.

Obi. 15. ***Doctrina de absoluto decreto cum nostra de electione intuitu meriti Christi & fidei doctrina pugnat.*** ℟. Absolutum decretum praedestinationis, nihil aliud involvit, quam quod ex gratia Dei electi simus in Christo. Vide p. 547. 548. 549. Itaque non frustra Forbesius allegatur.

Pag. 33. Obi. 16. ***Bocharti iudicium nimis temerarium, nimis inimicum est in antiquissimos Ecclesiae doctores.*** ℟. Cur ergo autor hoc non probavit de martyribus & antiquissimis ecclesiae doctoribus, qui post apostolos, eorumque discipulos fuerunt?

Obi. 17. *Comenius pro fanatico suo iudicio omnia miscet, & confundit.* ℟. Melius de eo sentit aequi vir iudicii, I. Fr. Buddeus, theol. ienensis clarissimus, in praefat. in Hist. fratr. Bohem. a Comenio descriptam)( )( )(4.

Obi. 18. *Nos contrarium* (scil. Reformatorum dogmatibus doctrinam de Dei veritate, iustitia, misericordia & omnipotentia everti, eosque docere, Deum esse causam peccati) *ostendimus in tract. de Fug. un. c. 2. sect. priori.* ℟. Prior ista sectio agit de Particularistis. Quid autem hi ad me? Neque etiam ostensum ab eo, illos docere, Deum esse causam peccati. Vide p. 33. & nostræ Consid. p. 574.

Obi. 19. *Gerhardum in partes suas abripere conatur, nec fideliter eum allegat.* ℟. Gerhardi verba haec sunt L. de Provid. n. 136. *Fatemur non inviti, quosdam ex iis, qui in aliis Calvinum sequuntur, satis commode interdum loqui.* Nonne haec verba sunt clara & perspicua? an hoc est, Gerhardum in partes suas abripere? Neque assertioni meae adversantur seq. verba Gerhardi, quae antagonista allegat: nam hodierni Reformati minime probant φορτικα illa pronuntiata. Vid. Ausführl. Bericht / was die Reformirte Kirchen / 2c. p. 12.

DE BAPTISMI EFFICACIA.

Pag. 34. & 35. Obi. 1. *In proprium parentem insurgit, & male id eum habet, quae posuit parens circa doctrinam Calvinianorum de baptismi efficacia.* ℞. Simpliciter refero parentis verba, iisque haec subiungo p. 575: *At Reformati aiunt, se credere & docere* &c. An vero hoc est, insurgere in parentem, & male eius gratia haberi? Immo utinam omnes, ut ego, tam facile possent dissentientes ferre! Sciendum etiam, scriptum illud parentis mei esse iuvenile, & cogitationes eius posteriores prioribus longe anteferendas.

Pag. 35. Obi. 2. *Confessiones Reformatorum de baptismi efficacia aliquid monstri alunt; nam in Conf. Helvet.* (Consid. p. 575.) *dicitur*, unum duntaxat esse baptismum, *hoc sensu, quod satis sit, semel in ecclesia baptizari.* ℞. Ipsa confessionum verba allegata, consideranda ac perpendenda sunt, num quid monstri alant. Nam in helvetica Conf. non exprimitur, id, quod de unitate baptismi dicitur, eum sensum habere, quem antagonista sibi fingit, sed post verba, *unus est duntaxat baptismus in ecclesia Dei*, haec addit: *Et satis est semel baptizari vel initiari Deo: durat enim semel susceptus baptismus per omnem vitam, & est perpetua obsignatio adoptionis nostrae.* Nimirum, ut Heideggerus in Medulla theol. christ. L. 25. §. 29 scribit, *Baptismus unus est genere, & unus numero est: Vnus genere, quia unus omnium est.* Ἓν βάπτισμα, *unus baptismus* est, Eph. 4, 5. *Vnus numero, respectu fidelium singulorum; qui semel, non iterum, saepiusque tinguntur.* &c. Confer pag. Consid. nostrae 581. Amoen. theol. 533. Voss. disp. XVII. de Bapt. § 12. Vrsin. Catech. heidelb. p. 490. & Strimes. in Hexad. annot. in controvers. Protestant. p. 16.

Neque

Neque *opponunt* visibilem ablutionem Spiritui S. intus regeneranti, sed contradistinguunt.

Obi. 3. *Ex mente Calvinianorum, solus externus baptismus ad omnes infantes baptizatos, internus vero ad quosdam tantummodo pertinet.* ℞. Hoc ex verbis Confessionum adductis non constat.

P. 36. Obi. 4. *In Ecclesiis Walonicis agitabatur quaestio.* ℞. Discrepantia opinionum, quas de ea tenebant doctores, satis ostendit, frustra id nobis obiici.

P. 38. Obi. 5. *Bergius infantes actualem Christi notitiam habere, palam negat.* ℞ Id quidem non male, si sermo est de eiusmodi Christi notitia, *quam habent adulti :* prout in parenthesi addidi p. 581. Cum qua conferantur seqq. duae paginae.

Obi. 6. *Bergius illud sine dubio cum aliis Calvinianis de sola declaratione & confirmatione gratiae publica, non respectu infantis, sed Ecclesiae intellectum voluit.* ℞. Probandum hoc fuisset, neque statim extra dubium ponendum. Porro a Claudio non est argumentandum ad Bergium. Et ubi ait Claudius, Deum gratiam suam infantibus *quibusdam* in baptismo conferre?

P. 40. Obi. 7. *Quis Politicorum nullius momenti controversiam esse, ac sola λογομαχία contineri censebit, si Principum aliquis vicino terras suas eripiens, se nomen titulumque ei haud gravate relicturum protestetur ?* ℞. Hoc simile valde claudicat, quia res ipsa, quae fides appellatur, scil. operatio Spiritus S. in infantibus, non negatur.

Obi. 8. *Quibus fidiculis inde extorquebitur, Spiritum S. per incognitam illam & inexplicabilem operationem in infantibus fidem revera non accendere?* ℞. Immo quibus fidiculis extorquebit

quebit autor, negari, quod revera fides in infantibus accendatur? Non veritas fidei, sed eius qualitas negatur, id est, non negatur, infantes habere fidem, si Spiritus S. operationem internam ita velis appellare, sed eandem cum adultis habere fidem, adeoque ex auditu verbi conceptam, hoc vero negatur. Sane marpurgenses theologi hoc diserte professi sunt, dicentes: *Etsi actualis fidei,* quae ex auditu verbi est, *capaces non sint infantes, non tamen inde excluditur talis Spiritus S. gratia, qua ipsi infantes suo modo, quamvis nobis incognito,* vere tamen, *regenerentur.* Vide Relat. colloq. cassell. 13.

P. 41. Obi. 9. *Marpurgenses non affirmant, habitualem aut inhaerentem sanctitatem per baptismum infantibus communicari. Fallitur ergo Dreierus.* ℞. Totidem quidem verbis hoc non dicunt, sed tamen profitentur, *Spiritum S. & ante baptismum & post illum (nam momento temporis regenerationis actum non adstringunt) infantibus hinc decedentibus, sua operatione regenerationem operari libere posse: etsi enim actualis fidei, quae ex auditu verbi est, capaces non sint, non tamen inde excludi talem Spiritus S. gratiam, qua ipsi infantes suo modo, quamvis nobis incognito, vere tamen, regenerentur.*

Obi. 10. *Vana est Comenii gloriatio de sententia Reformatorum circa doctrinam de baptismo, quia loca scripturae ab ipso adducta, adversarii* (Calviniani) *turpissime pervertunt & depravant.* ℞. Vicissim Comenius dixerit, vanam esse hanc obiectionem, quippe qui citatis s. literarum dictis haec statim verba subiungit: *Quid hic deest, si non ad curiosas quaestiones, qua occulta virtute baptismus id in nobis agat, descendendo potius, quam ut agat, soliciti simus?*

DE

DE RITIBUS AC CERIMONIIS.

Pag. 42. Obi. 1. *Quid si plerique* (Reformati) *rigidiores sint, moderatiores autem perexiguum conficiant numerum?* &c. ℞. Quid si non?

Obi. 2. *Bergius aliique baptismum, per laicos mulieresque infantibus in necessitatis casu constitutis collatum, improbant.* ℞. Non quod eum reiiciant aut condemnent, vel pro falso nullové habeant, sed quia (ut Bergius loquitur) *eum non laudant in iis, qui conferunt talem baptismum; interim illis est verus baptismus, qui eum recipiunt, dummodo fœdus Dei simul cum baptismo suscipiant & servent.* 1. Petr. 3, 21.

Obi. 3. *Scriptum Hunnii de exorcismo est suppositititium, teste Kromayero.* ℞. Recte hoc quidem dicitur de eo, *quod*, ut autor ille loquitur, *circumferebatur*, Erphordiæ impressum; interim verum manet, Hunnium ante obitum suum Theses de exorcismo conscripsisse, in quibus mitius, uti retulimus, sentit, easque heredibus suis reliquisse, imo & editionem erfurtensem aliqua ex parte, quantum ad res ipsas attinet, cum autographo concordare: haec enim omnia testatur ac fatetur Garthius, Hunnii gener, in praefat. in tomum V. operum Hunnii. Vide etiam Aug. Varenium in Breviar. theol. 661. (cujus verba adducuntur in Hexade Annotat. Strimes. in controversias inter Protest. de persona Christi &c. p. 57.) & Melanchth. Epist. tom. II. 312.

Pag. 44. Obi. 4. *Dreieri locus p. 590. allegatus, non leviter Fabricio adversatur.* ℞. Dreierus mihi non potest adversari, qui nullam de exorcismo thesin posui, sed nude retuli sententiam Reformatorum, ac quorundam ex nostratibus, videlicet Hunnii, Gerhardi, Theologorum rinthelensium, Pufendorfii, & Dreieri ipsius.

Pag. 46. Obi. 5. *Scribens*, plures ecclesias evangelicas confessionem privatam haud male mutasse in publicam, *ad Argentoratensem ecclesiam quoque respicit; Io. Schmidius autem iudicat, reformatores istius ecclesiæ hac in parte iusto longius progressos esse.* ℞. Negari posset consequentia: nam plures manerent ecclesiae Protestantium, quibus eiusmodi mutatio placuit, etiamsi inter eas non ponatur argentoratensis. Sed esto, me sub illis etiam argentoratensem intellexisse, an defendendum sibi vult sumere antagonista, non tantum argentoratensem, sed etiam reliquas, quae confessionem privatam in publicam mutarunt, male egisse?

Pag. 47. Obi. 6. *Verba Formulæ concordiæ mutilate adduxit.* ℞. Nihil aliud volui probare ex Formula Concordiae, quam quod ab ea *non condemnentur ex Reformatis illi, qui ex animi simplicitate errant, multo minus integrae ecclesiae*; & ideo opus non fuit plura verba adducere. Vnde patet, nullam heic esse mutilationem. Neque etiam suppressi, sed candide indicavi locum, ubi verba adducta exstant, ut totum contextum lector ibi inspicere & cognoscere posset.

Pag. 48. Obi. 7. *Vtinam sequeretur* Considerationis autor *monitum eorum, qui Formulæ Concordiæ subscripserunt, & condemnationes impiorum dogmatum, & eius præsertim, quod de S. cœna exiſtit, expresse & distincte proponendas esse, nec Calvinianorum errores cum verbo Dei conciliari posse iudicarunt.* ℞. Neque antagonista, neque illi me habent contrarium. Impia dogmata, quaeque cum verbo Dei conciliari nequeunt, ipsemet reiicio atque condemno. Sed memor sit adversarius sui ipsius moniti, quod pag. 49. dedit, & *de hominibus distinctis distincte etiam loquatur.* Si fuerunt eo tempore, quo Formula concordiae fuit condita, *qui absentiam corporis*

poris Christi (ut ipse loquitur in pag. modo citata sub finem) *in S. cœna profiterentur ac propugnarent*, annon diversi ab iis sunt moderni, cum quibus per totam disputationem mihi res est, quique *veram & substantialem Christi in S. cœna praesentiam* docent & concedunt, nec alios praesentiae eiusdem modos, quam nos ipsi, negatum eunt?

Pag. 50. & 51. Obi 8. *Hülsemannus Hülsemanno, Meisnerus Meisnero, I. Val. Andreæ eidem Andreæ opponitur*. ℞. Sed non mihi, quum negari nequeat, verba allegata apud eos exstare. Neque etiam illa, quae ex dictis auctoribus affert antagonista, citatis meis contraria sunt, nisi statuere velit, scriptores illos sibimet ipsos contradixisse. Denique idea errorum, quam Andreae facit in Summa doctr. christ. cum Reformatorum modernorum doctrina conferenda est, ne forte ignores, quid distent erva lupinis: nam si ea, quae recensentur, dogmata, & eo quidem sensu, quem scriptor format, proponerent & propugnatum irent, quis pius & in via Domini eruditus non abominaretur!

P. 52. Obi. 9. *C. Donauerus non pastor, sed lupus fuit, & perfidiæ speculum præbuit; ac Brunnemanni iudicium satis impure hac in parte fluit*. ℞. Scilicet ex iudicio antagonistae, cui nihil praeter suum videtur pulcrum, & cui sordent omnia, quae moderationem & aequitatem sapiunt.

Obi. 10. *Quinam quæso sunt isti Theologi, quos cognominibus hisce ornat?* ℞. Non opus est ista quaestione, quum omni tempore fuerint sintque inter eos, qui sacris studiis sive in ecclesia, sive in academiis addicti esse debent, eiusmodi homines, *superciliosi* videlicet, *imperiosi, contentiosi, iniusti, imprudentes, temerarii, rigidi, & lupinam saevitiam pelle ovina tegentes*. Legatur modo, quae in S. literis exstant de Pharisaeis & Scribis,

Scribis, atque doctoribus hypocriticis, item apud ecclesiae Patres, cumprimis *Basil.* T.2. p.52.54. *Meysartum* de Academiis, Hartm. *Beyerum* praef. in Brentii explicationem catecheticam, *Bucholcerum* in Lasitii Eccles. discipl. fratr. bohem. 168. & *Brelerum* Myster. iniq. pseudoev. 50. 63. & in Vindic. praedicti scripti p. 325. 806. 817. 838. 850. 914. 916. nec non in praefat. eiusdem libri, aliosque, & cessabit quaestio. Impia autem *coniectura*, immo detestabilis perversio est adversarii, qua id, quod dictum est de vitiosis theologis, rapit atque detorquet ad venerandum ordinem, seu ad eos, qui religionem evangelicam probitate vitae ornant, & pro veritate divina pugnant, piumque, quod usurpavi, votum pessime traducit, exagitat, & conviciis proscindit. Interea ego dicam cum Erasmo ex Moriæ defensione: *Quaeso, lacessitum theologorum ordinem putas, si quid dictum fuerit in stultos aut malos theologos, eoq; indignos nomine? Atqui si placet ista lex, universum mortalium genus infensum habeat, qui quid dixerit in sceleratos homines. Quis unquam fuit tam imprudens rex, qui non fateatur, regum nonnullos esse malos, & hoc bonore indignos? Quis episcopus tam insolens, quin idem de suo fateatur ordine? An unus ordo theologorum in tanto numero nullum habet stupidum, nullum indoctum, nullum rixosum, sed tantum Paulos, Basilios, & Hieronymos nobis exhibet?* Quodsi etiam hoc votum, quemadmodum illud, quo Considerationem controversiarum cum Reformatis finivi, pro ludibrio (p. 54. 55.) habuerit, & hypocriseos insimulaverit, sciat, ipsi non amplius mecum rem esse, sed cum scrutatore cordium, Deo opt. max. qui recte iudicat, neque se patitur irrideri.

P. 54. Obi. 11. *Aculeata est haec phrasis*, tantum esse scriptorum polemicorum numerum, quantus muscarum, cum

caletur

caletur maxime. ℞. Ego illam usurpavi, prout ex Plauto didici, de magno numero; & quidem sine aculeo. Hunc autem qui videre potest, eum non tantum bene oculatum oportet esse, sed etiam cordis scrutatorem.

EX M. P. Z.

EPISTOLA AD I. F.

Obi. *Fabricius filius in aliquibus aliter sentit, ac pater ipsius, ceu patet ex huius Systemate theol. & illius Considerat. var. controvers.* ℞. Haec epistola, praeter convicia quaedam, & monita ex iuvenili imprudentia profecta, mera ignorantia elenchi constat: nam non *methodus* tractandi, quippe quae cuivis libera relinquitur, sed ipsa tractatio, seu res & dogmata, quae tractantur, si opus est, examinari & oppugnari possunt. Neque ego ex tribus illis thesibus, quas ponit pag. 4, mihi formavi methodum, sed eiusmodi scopum autor mihi affingit. Immo prima thesis, *Vnio cum Pontificiis facile potest stabiliri*, & tertia, *Theologi nostri contra Romanenses disputantes, praeiudicia saepe habent, & nimio studio contendendi flagrant, & proinde a nobis sunt deserendi saepissime*, non sunt meae: ubi enim exstant? in quo folio? qua linea? *Antithesin Pontificiorum ex libris symbolicis rom. ecclesiae desumendam esse*, nemo, cui sanum est synciput, negaverit; sicut & nos, teste Selneccero in Resp. ad Bezae calumn. B 2, volumus iudicari, non ex sententiis huius vel illius doctoris, sed ex confessionibus publicis. Eandem etiam qui in disputatione *ex moderatioribus potius*, quam rigidioribus scriptoribus petit, sane dimidium operae habet. Quod autem ad beatum attinet *parentem meum*, frustra is mihi opponitur,

 quia

quia in multis ipse mutavit sententiam suam, neque Systema illud, quod in suo genere non malum est, vel revidit, vel edidit, aut edi iussit, multo minus tam vanus & acerbus fuit, ut me vellet in sua verba iurare, neque latum unguem a se recedere: potuit ille, qua erat modestia, dissentientes facile ferre, quin, si adhuc viveret, gratularetur sibi de laetiore studii polemici facie ac statu, quo Deus, discussis spissioribus tenebris, haec & praecedentia tempora beare, & ampliora veritatis cognoscendae subsidia nobis suppeditare voluit. Quod qui non videt & agnoscit, nae is talpa caecior est, & silice durior.

EX V. E. L.

RELATIONIB. INNOC.

DE A. MDCCV.

Vbi referuntur anonymi cuiusdam

MONITA GENERALIA.

Pag. 352. Obi. 1. *Calixtinum schisma, sepultum quasi ac obliteratum, resuscitatur.* ℞. Hoc est πρῶτον ψεῦδος seu primum ac praecipuum falsum, quod novus adversarius committit. Quod enim narrat de *calixtino schismate*, merum febricitantis ingenii figmentum est, & (1) a G. Calixto, ac (2) Prorectore & Senatu academiae Iuliae plus una vice gravi stylo reiectum & confutatum. Praeclarus ille vir, deque re theologica & litteraria optime meritus, aliquibus dogmatibus, quae

(1) In Refut. Iac. VVelleri, & I. Hülsem.

(2) Vide Programmata de A. 1649. in Resp. ad I. Hülsem. Meist. Must. n. 106. & 108.

quae nec nova erant nec improbanda, sed moderata & ad accurationem magis flectentia, nactus est, uti fit, adversarios, qui ut eum odio aliorum exponerent, non modo errores doctrinae, sed etiam haeretica somnia ipsi affinxerunt, & fulmina condemnationis, sed bruta atque invalida, contra eum vibrarunt, proque ea, quam nec habebant, nec ullo iure habere poterant, auctoritate, piis ac prudentibus minime applaudentibus, evangelica ex ecclesia, in qua semper honos, nomenque eius, laudesque manebunt, eiicere nisi sunt. Hoc est illud *schisma*, quod Calixto eodem imputatur iure, quo dixeris, S. Athanasium, immo & omnium sanctissimum Jesum ac servatorem mundi schisma eo fecisse, quod contra illum Ariani, contra hunc autem Scribae & Pharisaei cum Sadducaeis insurrexerint, eosque persecutionum telis petierint. Nimirum dissidium seu disputationem illam, quae fuit Calixtum inter aliosque nostrae ecclesiae theologos, monitor sine vocatione exsurgens, per magnum vocis abusum, *schisma* vocat, idque Calixto, atque nunc mihi iniuste tribuit. Quid enim mihi cum illo dissidio, qui in Consideratione mea non disputo cum nostratibus, sed cum iis, qui extra nostram sunt ecclesiam? Ecquando, ubi, a quibus, quomodo, in quorum praesentia, illud *sepultum quasi ac obliteratum fuit?* Equidem cum pio filii Calixti obitu, immo & ante eum, cessarunt in publico comparere mutua belligerantium scripta, sententiae tamen, quas utraque pars tenebat, non propterea dimissae & contumulatae sunt. Notum enim est, F. V. Calixtum paullo ante discessum suum edidisse *Viam ad pacem*, item aliud *Scriptum irenicum*, sicut non diu antea parentis *Consultationem de Tolerantia Reformatorum*, cum sua ipsius *Pressiore declaratione*, collegis applaudentibus & con-

& congratulantibus, iteratis curis publicaverat. Et vide, quam belle sibi constet monitor noster, qui heic in limine me accusat resuscitationis illius dissidii, & tamen inferius p. 362 dissensum a Calixto (quem beatus vir, ceu patet ex Responso ad Vindicias Moguntinorum n. 61, haud invitus patitur) mihi obiicit. Ego quidem, fateor, aestimo Calixtum, sed eius sententiis me non adstringo, nisi ubi non suppetunt rationes meliores, diuturnae autem illi disputationi, quam sustinuit, adeo non faveo, ut mallem, eum aut plane tacuisse, aut semel pro semper respondisse, quo pretiosum tempus ac nobile ingenium melioribus scriptis impendere potuisset: tantum abest, ut me delectet infelix illud bellum, aut ego id restaurare annixus fuerim, praesertim quum maximam partem constiterit in λογομαχίαις, seu vocum & phrasium variis acceptionibus, & inde natis infructuosis conflictibus; sicut facile, si opus foret, ostendi posset aliquot exemplis. Natura mea abhorret à litibus & contentionibus: ecqui ego eas resuscitem? Fallitur, fallitur gravissime, qui eiusmodi excessum mihi obiicit, neque profecto scit, quid dicat. Vnde & querelae & votum monitoris sunt irrita atque inania. Vide F. V. Calixti Praefat. in tractatum de Toler. Reform. §. 5. eiusdemque Praefat. in Refutat. Harmoniae calovianae.

Obi. 2. *Dedicavit Considerationem suam Societati regia Berolinensi, qua scientias profanas tractat.* ℞. Illustris illa Societas non tantum scientias profanas, sed etiam res sacras tractat. De quo vide collectorem Relat. innoc. A. 1701. p. 70. Vnde & plures theologi in eam sunt cooptati. Antagonistam autem eius membrum non esse, praesens obiectio & punctio, livoris soboles, satis prodit. Sciat vero, me ipsi hono-

honorem hunc neutiquam invidere, quin gratum mihi fore, ſi ei ille, ut mihi, praeter ſpem & ambitum obtingat.

Pag. 353. Obi. 3. *Poſſunt multis modis controverſiae minui, quae veritati gloriaeque divinae obſunt, v.g. ſi cedas, ubi non cedendum eſt, ſi diſſimules non diſſimulanda, ſi pallies, quae excuſari non poſſunt.* ℞. In hiſce plane conſentio, ſed ſi iis, ut omnino videtur, me vult tangere, longiſſime a vero diſcedit, neque hactenus ullum iſtorum capitum probavit. Quaeſo autem, quid iuvant eiusmodi generales inculpationes, ad quas nulla ſequitur probatio? nonne indicium ſunt malae cauſae? quis non in genere, ſi ita licet, alterum criminari poteſt? ſed quo iure, quave conſcientia? Praeterea num iuſtus prudensque iudex, propter generales, nec probatas accuſationes, quenquam condemnat, aut potius importunus actor audire iubetur conſuetum illud, PROBETVR? Interim ſi benevolus lector (ſaltem quoad pontificias controverſias) evolvere & legere velit, quae cordate docui de libris apocryphis vet. teſtamenti, traditionibus, iuſtificatione, charactere in baptiſmo impreſſo, transſubſtantiatione, repoſitione, aſſervatione & theatrica circumgeſtatione hoſtiae, communione ſub una, ſacrificio miſſae, miſſis ſolitariis, canone miſſae, indulgentiis, purgatorio, invocatione ſanctorum, cultu imaginum, veneratione reliquiarum, coniugio clericorum, & primatu Papae, facile deprehendet impotentiam atque impudentiam obiectionis, ſi quidem contra me eſt directa.

Pag. 354. Obi. 4. *Argumentum a notitia innata oriens nec urgetur, nec vindicatur.* ℞. Nempe quia fundamento deſtitutum eſt, ſi intelligas eiusmodi Dei notitiam, quae omnibus hominibus, quam primum in lucem eduntur,

 actua-

actualiter innata atque ingenerata sit, & sit *habitus quidam.* Talem notitiam innatam si credit monitor, credat, ego non credo, neque etiam praecessores mei, G. Calixtus Epit. theol. p. 44. Horneius P. I. Disputat. p. 234. F. V. Calixtus Resp. ad Thes. antisyncret. 44. Quibus adde parentis mei Systema theol. 44. & Pufendorf. de I. N. & G. 202. & vide, quid ipse de notitia Dei insita doceam cum Scherzero, I. Musaeo ac Baiero, in Amoenit. theol. p. 397. & in Annotat. in Compend. theol. Baieri p. 4. Ita iam ex abundanti & liberaliter respondi, quum statim obiectionem repellere potuissem, dicendo, in ea contineri crassam ignorantiam elenchi: non enim est opponentis, sed scribentis, quibus argumentis uti velit, vel nolit.

Obi. 5. *Argumenta pro S. Triade ex V. T. petita, p. 111. adversariis tanquam imbellia traduntur, nulloque modo defenduntur.* ℞. Tria falsa simul committit temerarius monitor: non enim ibi absolute agitur de argumentis V. T. sed de argumentis *ex solo V. T.* deprompltis; neque dicitur de iis, quod non stringant, sed quod non *adeo* stringant; immo nec hoc asseritur, plane irrefutabiles esse adversariorum exceptiones, sed eos facile inventuros, quod *si non vere, tamen valde probabiliter* regerant, atque opponant.

Obi. 6. *Non solum inter Ecclesiarum Doctorumque iudicia notabilia & nullibi sibi improbata stare iubet Curcellaeanum de Socinianis,* (in quo eos ad *fraternitatem* admittendos esse ait) *sed nec verbulo reprehendit.* ℞. Critica haec a monitore frustra exercetur: non enim ad eum spectat, methodum scripti mei reprehendere & suggillare, quippe quae scriptori libera fuit, ac libera manere debet. Mihi propositum fuit, iudicia virorum doctorum recitare, non autem oppugnare

& corrigere. Neque etiam is, qui disertis & expressis verbis aliquid non improbat, id approbasse dici potest.

Obi. 7. Orthodoxos *vocat saniores Theologos, & a syncretismo alienos.* ℞. Verba mea p. 201. & seq. haec sunt: *Sed nec illi ipsi*, (videlicet Sociniani) *nec patronus eorum*, (Curcellaeus) *excusationibus & declarationibus istis quidquam efficiunt, ut ex orthodoxorum scriptis abunde constat.* Hoc ille iam, ut mihi odium conflet apud lectores, in materiam calumniae vertit, ac pessime interpretatur, quasi non de vere orthodoxis locutus sim, sed de illis duntaxat, qui tantum secundum opinionem suam sint ac dici possint orthodoxi. Sed mendacium diu consistere non potest: vide enim & confer pag. 195, ubi contra Socinianos cito non tantum *Calovium*, sed etiam *Aug. Confessionem*, *Balduinum*, & *Dürrium.* En, ego utor vocabulo *orthodoxi* in communi & sano significatu, ubi in negotio contra Socinianos nulla est nos inter & alios nostratium, immo nec Reformatos & Pontificios differentia; ille autem sinistrum, alienum, & cum irrisione coniunctum mihi tribuit atque adscribit. De calumniosa autem syncretismi imputatione vide pium D. Titium nostrum in Consilii calixt. plen. repraesent. §. 28.

Pag. 355. Obi. 8. *Artibus utitur.* ℞. Bonisne, an malis? Immo malis, secundum adversarii mentem, & totum contextum, id est, dolis ac fraudibus. Alius iam diceret: O diabolicum accusatorem! o perversum & sycophanticum monitorem, qui ut alteri artes affingat, artibus utitur! Ego vero hisce verbis nolo uti, sed Deo iudicium, quod homo sibi temere arrogat, relinquendum esse aio. Quaecunque in Consideratione mea continentur, multo labore & studio consignavi in usum auditorum, eaque illis publico in loco

 pro-

proposui. An technis opus est professori ad informationem studiosorum? Vtantur in scriptis suis, qui tam malitioso sunt animo, fraudibus & artibus: ast ego, me eas nec quaesivisse, nec usurpasse, neque in gratiam ullius quidquam scripsisse, probe scio: nam nihil mihi fuit prius, nihilque antiquius, quam ut veritatem cum moderatione ac prudentia coniunctam auditores meos docerem, atque a falsis eos deducerem, & sic honori ecclesiae nostrae consulerem: quid enim turpius est, quam redargui falsarum accusationum & imputationum? Itaque iam omnia illa, quae in sequentibus monitor de adhibitis garrit artibus, nugae sunt, figmenta, chimaerae, somnia, falsa.

Obi. 9. *Ex Gerhardi Confessione catholica & similibus scriptis loca scriptorum pontificiorum colligit, in quibus nolentes etiam veritati testimonium perhibent.* ℞. Si haec prima est inter artes, quas mihi affingit antagonista, ergo Gerhardus, quem ego secutus sum, & unde illos testes adduxi, eam ante me adhibuit, atque eiusmodi scriptores citavit, qui, nolentes etiam, veritati testimonium perhiberent.

Obi. 10. *Addit similes sententias molliores ex Cassandro, Wicelio — aliisque, qui vel dulci aucupum fistula usi sunt, ut nostrates ad sacra romana pellicerent, vel in ipsa ecclesia pontificia suspecti de doctrina exosique sunt, ac fere inter putrida membra numerantur,* ℞. Quamvis haec & similes obiectiones, ubi aliquid carpitur, nec tamen paginae, contra quas sermo est, allegantur, nullius sint momenti, nec dignae, quae vel leviter considerentur; praesentem tamen, ne in ignorantia sua relinquatur adversarius, non plane intactam praetermittam. Enim vero nonnulla in ea confunduntur, est quod fingitur, & aliquid ex nuda suspicione asseritur. Quid enim

intel-

intelligit per molliores sententias? num eas, quae recedunt a communi ecclesiae romanae doctrina, ac porro audetne has tribuere autoribus nominatis? Atqui Veronius, Walenburchii, Kunckelius, Volusius, Marcellius, Bossuetus, doctrinam in Concilio tridentino traditam presse sequuntur, & Veronius ac Bossuetus ipsa illius verba retinent atque usurpant. Quinam, & ubi, dulci aucupum fistula usi sunt? Scio quidem, hoc imputari Bossueto, sed id fit absque fundamento: nihil enim is dicit, quod non extet in Concilio tridentino. Anne ergo & hoc dulci aucupum fistula usum fuisse dixeris? Immo satis plane in omnibus dogmatibus, si unum excipias de causa formali iustificationis, locutum est. Quinam in ipsa ecclesia pontificia suspecti de doctrina exosique sunt? Equidem Cassander & Wicelius quibusdam doctoribus male audiunt ob veritatis professionem, & Du Pin invisus est Curiae romanae ob adhibitam scribendi libertatem, sed non ipsi Ecclesiae romanae: diligenter enim distinguendum est inter Curiam romanam, particulares ve doctores, & Ecclesiam romanam. Nemo omnium illorum, quos citavit monitor, a doctrina & fide romanae ecclesiae vel tantillum recessit; alias, quicunque esset, inde eiectus fuisset atque expulsus. Cassandrum & Wicelium magno in pretio habuerunt, summisque laudibus ornarunt sapientissimi felicis memoriae Imperatores, Ferdinandus & Maximilianus II. Videatur Gerhard. in Conf. cath. p. 11. & disp. ult. de Bellarm. orthod. teste §. 33. Menzer. in Exeg. ad A. C. art. 2. G. Calixt. in Resp. ad Hülsem. Meißt. Mutt. n. 111. 112. & Conring. in epist. dedicat. & praefat. in Wicelii Viam regiam. Et Bossueti Expositio doctrinae catholicae non tantum per totam Galliam, & Germaniam, aliasque terras,

 sed

sed & ipsa in Italia approbationem & receptionem nacta est apud Praelatos, Cardinales, ipsumque Pontificem romanum, Innocentium XI. ita ut hic dicat in Brevi suo, *libellum mereri, qui non solum a se commendetur, sed ab omnibus legatur, atque in pretio habeatur.*

Obi. 11. *Chemnitium aliosque nostratium de falso imputato Pontificiis errore reprehendere non dubitat.* ℞. Cur locum, vel loca non indicat, ut inquiri possit, an, & quomodo id factum sit? Quaecunque autem indicaverit, constabit inde, me illud iuste pariter ac modeste fecisse. An, si illi errarunt, ut erant homines, ego sciens volensque cum ipsis errem, eorumque reddar mancipium? Absit. Amicus mihi est Chemnitius, amici nostratium alii, sed magis amica veritas: huius enim, non falsi, sum ac debeo esse professor. Si vir esset antagonista, monstrasset vel unicum locum, ubi Chemnitio aliisve nostratium aliquid praeter ipsorum mentem tributum fuerit. Caeterum ab ipsis dissentire, & errorem, si quem commiserunt, molliuscule indicare, quidni liceat, praesertim academico professori, qui non heri demum aut nudius tertius officium hoc aggressus est? Non maior certe illorum potest esse auctoritas, quam (*a*) Patrum ecclesiae, quia

(*a*) Omnino notanda sunt sequentia dicta: *Solis eis scripturarum libris, qui iam canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre, ut nullum eorum autorem scribendo aliquid errasse, firmissime credam: ---- alios autem ita lego, ut quantalibet sanctitate doctrinaque praepolleant, non ideo verum putem, quia ipsi ita senserunt; sed quia mihi per illos auctores canonicos vel probabili* (id est, proba & firma) *ratione, quod a vero non abhorreat, persuadere potuerunt.* Augustinus ep. 19. p. 68. edit. Reinhart. p. 68. *Si quaeras vel recolas, quid hinc senserit noster Ambrosius, quid noster itidem Cyprianus, invenies fortasse, nec nobis defuisse, quos in eo quod asserimus sequeremur: quanquam, sicut paulo ante dixi, tantummodo scri-*

qui inter se dissentiunt, & contra quos toties statuunt nostrates ipsi, eorumq; errores manifestant atque reiiciunt. Sic (*b*) *Lutherus* deseritur ac refutatur a Meisnero Anthrop. disp. 23. n. 65. Glassio Philol. S. 477. I. Tarnovio Exerc. bibl. 296. Geiero in Ps. 91, 1. & Sebast. Schmidio in Colleg. bibl. prior. 175. *I. Tarnovius* ab Hackspanio ad Gen. 49, 15. G. Calixtus ab eodem ad Ex. 3, 2. multi nostratium a praedicto Tarnovio 370. *I. Gerhardus* a Seb. Schmidio in Colleg. bibl. prior. 181. 183. *Dorscheus* a Geiero in Ps. 110, 1. p. 1726. *Glassius* ab eodem p. 1731. *Chemnitius* in ipsis Relat. innoc. de A. 1705. p. 726. & Gerhardus dissensum in quaestionibus extra articulos fidei plane approbat, ceu refert I. Tarnovius in dedicat. sui in Ionam commentarii. Ecquando finis foret, si pluribus exemplis commemorandis operam dare vellemus?

Pag. 356. Obi. 12. *Reliqua, quae sincerius fluunt, a Papis, Episcopis, Academiis damnantur, & Indicibus probibitoriis configuntur.* ℞. Non tamen ab omnibus Papis, Episcopis, & Academiis. Certe papa Innocentius XI. Bossueti doctrinam

pturis canonicis hanc ingenuam debeam servitutem, qua eas solas ita sequar, ut conscriptores earum nihil in eis omnino errasse, nihil fallaciter posuisse, non dubitem. Idem ep. ead. p. 78. *Non sic leguntur* (Cyprianus, Hilarius, aliique patres) *tanquam ita ex eis testimonium proferatur, ut contra sentire non liceat, sicubi forte aliter sapuerint, quam veritas postulat.* Idem ep. 48. p. 186. *Neque enim quorumlibet disputationes, quamvis catholicorum & laudatorum hominum, velut scripturas canonicas habere debemus, ut nobis non liceat, salva honorificentia, quae illis debetur hominibus, aliquid in eorum scriptis improbare atque respuere, si forte invenerimus, quod aliter senserint, quam veritas habet, divino adiutorio ab aliis intellecta, vel a nobis. Talis ego sum in scriptis aliorum, tales volo esse intellectores meorum.* Idem ep. 111. p. 542.

(2) *In Lutheri verba non iuravimus; sed istius scripta cum libertate indicandi legimus.* B. Meisner. Anthropol. S. disp. 32. n. 65.

nam de auctoritate Papae cap. 21. contentam, non damnavit. Nec indices prohibitorii ab Eccleſia, ſed Curia romana ſuam habent originem & autoritatem.

Obi. 13. *A potiori in hac materia denominatio fieri debet, potior autem eccleſiæ pontificiæ pars ſunt Cardinales, Epiſcopi, Academiæ & Doctores plerique, hique omnes ad rigidiorem claſſem pertinent.* ℞. Mihi ſermo eſt de doctrina: haec autem non eſt aeſtimanda ex dignitate perſonarum, ſed ex libris eccleſiae romanae ſymbolicis; & ſi moderatiores ſcriptores excommunicationis fulmini non ſubiiciuntur, colligendum inde eſt, eorum dogmata non eſſe contra fidem romanae eccleſiae, ſed ad claſſem pertinere τῶν ἐνδόξων ſeu probabilium.

Pag. 357. Obi. 14. *Quoties teſtimoniis moderatiorum deſtituitur, toties diſcordiam in verbis ſolum & phraſibus reſidere ait.* ℞. Vbinam vero, loquaciſſime monitor, pariterque elinguis probator? Immo fallaciam non cauſae ut cauſae committis, quando ex iudicio diſcordiae in verbis ſolum & phraſibus haerentis concludis ad defectum teſtimoniorum moderatiorum. Nam ſi in ſpecie notaſſes illas controverſias, ſine omni dubio nudus repertus fuiſſes, quum in ſingularum tractatione quaeſtionum, teſtes a nobis affatim nominati & adducti fuerint.

Obi. 15. *Ea de re Hülſemannus aliique noſtratium theologiæ ſcholaſticæ periti ſatis cogitarunt, oſtenderuntque, hoc non obſtante litem omnino in re ipſa manere.* ℞. Non obſtante diſcordia ſola in verbis & phraſibus? O egregiam Logicam, ſecundum quam, licet tantum diſcordia ſit in verbis ac phraſibus, nihilo tamen minus manet lis in re ipſa! Reliqua, quae ex coeca fide fluunt, non attingam.

Obi.

Obi. 16. *Si quid Pontificii hic errent, affirmat, id omne non esse de ipsorum fide, sive in canonibus Synodi tridentinae illis credendum non imperari, sed ad scholasticas quaestiones pertinere.* ℟. Non mirum, aquam heic haerere monitori; hoc enim commune habet cum pluribus, qui itidem nesciunt, qualenam discrimen sit inter res de fide, & alias, quae non sunt de fide, huiusque discriminis non habita ratione, controversiam faciunt, ubi nulla est, & Andabatarum more ridicule pugnant. Nimirum omne illud, quod est *res de fide*, seu credendum & articulus fidei, comprehenditur in Concilio tridentino & Catechismo romano, atque ita se habet, ut a nobis, si quid in contrarium habemus, oppugnari possit, & ab altera parte defendi debeat; sed contra id, quod *non est de fide*, seu non credendum, aut problema, minus recte tela obiectionis vibrantur, quoniam in utramque de eo partem, etiam in ecclesia & scholis romanae religionis, disputare licet, e.g. Est de fide, hominem iustificatum, bonis operibus, quae sunt dona Dei, ac fiunt ab eiusmodi homine per Dei gratiam & Christi meritum, & virtutem merendi habent per idem Christi meritum, *vere* mereri augmentum gratiae, vitam aeternam, & ipsius vitae aeternae, si tamen in gratia decesserit, consecutionem, atque etiam gloriae augmentum: non autem est de fide, meritum illud hominis iustificati esse vel *de congruo* tantum, vel etiam *de condigno*, licet sit verum meritum. Cur? quia illud expresse positum est in Concilio tridentino, hoc autem non item. Vide Compend. reg. fid. cath. Veronianae p. 24. 25. Iam sicut veritatem meriti dictorum bonorum operum homo pontificius credit, ac credere tenetur, & pro muneris ratione defendere laborabit, ita absurdum est oppugnare meritum

vel de congruo vel de condigno, quia horum neutrum est in numero credendorum, sed potius probabilium, ita ut, citra ullum excommunicationis periculum, sive hoc, sive illud statuere tibi liceat. Mirum igitur est, hoc, quod de illa distinctione dixi, ab antagonista inter artes & dolos referri. Quod profecto non fecisset, si rectiorem hac de re habuisset notitiam. Vid. Bellarm. l. 2. de Concil. c. 12.

Pag. 358. Obi. 17. *Non ignoramus, Iansenianos ab universo ecclesiae pontificiae corpore damnari.* ℟. Immo cum ignorantissimis hoc scit. Nam licet illi a Pontifice damnati sint, sunt tamen ac manent ecclesiae pontificiae membra, & multae sunt eorum myriades, praeter eos, qui clam iis favent. Quomodo ergo ab *universo* ecclesiae pontificiae corpore condemnentur? Vide Apol. A. C. ad art. X. p. 236.

Obi. 18. *In canonibus tridentinis multa ambigue dicta sunt, unde peculiari Theologorum collegio opus est, quod Romae hodienum viget, & in explicando eorum sensu operam locat.* ℟. Profecto me miseret monitoris, qui tam nudum & ineptum se exhibet, ut a quovis rectius informato & perito, risu excipiatur. Sed quid non audet temeritas, & pruritus disputandi? Enim vero non magis Romae, quam in Vtopia, *Theologorum* aliquod est *collegium, quod in explicando canonum tridentinorum sensu operam locet*: sed *Concilii*, ut vocatur, *Congregatio* agit de rebus ad disciplinam ecclesiasticam pertinentibus, easque decidit secundum normam Concilii tridentini. De dogmatibus autem certorum Doctorum aut scriptorum si forte iudicandum est, id quidem fit in S. Officio, ubi Papa praeses est, qui auditis Cardinalium votis, sententiam fert; at de sensu Concilii tridentini nunquam vel ibi vel alibi tractatur, quoniam de canonum capitumque, quae dogmata

pro-

proponunt, perspicuitate nullum apud eos est dubium, sed has valere iubent regulas: *Quicquid expresse in Concilio trid. credendum proponitur, id est credendum*, &, *Quicquid non expresse in eo credendum proponitur, id non est credendum.* Habeat igitur sibi monitor somnium suum de ambiguitate canonum, eiusque gratia erecto Romae peculiari collegio, neque eo aliis pergat imponere.

Obi. 19. *Res ipsa edocet, abusus istos niti errore palmario, nec nisi eo sublato satis everti posse.* ℞. O quam taediosum ac molestum est, toties audire declamatorem, sed demonstrationem & probationem nullam! Quinam enim, per fidem tuam, tandem sunt abusus isti, qui nituntur errore palmario, nec nisi eo sublato satis everti possunt? ecquis ille error palmarius? aut forte ex abusibus errorem palmarium tibimet fingis, & putas, doctrinam eos parere, e.g. abusus invocationis sanctorum nasci ex eius doctrina? Sed & apud nos, quod negare non possumus, passim abusus occurrunt, in suggestu, in loco confessionis, apud S. altare, in baptismo, & alibi. An ergo & illi nituntur errore palmario, aut ex doctrina nostra fluunt? Absit. Itaque discrimen fac inter doctrinam, & abusus, qui ei accidunt. Quanquam hoc dicto non omnem Pontificiorum doctrinam ab errore vindicare animus est.

Obi. 20. *Controversiam de transsubstantiatione prorsus inutilem esse, ait* p. 328. ℞. Evolve, Lector, paginam, & lege, quae ibi exstant, ac facile deprehendes falsum. Non enim illa verba sunt mea, sed Guil. Forbesii. De ipsa autem controversia non poteris prius recte iudicare, quam totam tractationem apud me & clarissimum illum scriptorem studiose ac sine praeiudicio perlegeris, & expenderis.

Obi. 21. *Aliquando litem indecisam relinquit, sumitque speciem ambigentis inter utramque partem, v. g. p. 288. ubi de iustificationis conservatione per bona opera agit.* ℟. O impudens dictum! Rotunde enim ibi, ac sine ulla haesitatione aut dubitatione (quanquam, si ambigentis personam sumsissem, quod toties fit a scriptoribus, an propterea culpandus essem?) sic scribo & profiteor: *Quod attinet ad conservationem iustitiae cum imputatae, tum inhaerentis, dicimus eam fieri per bona opera negative, dum removetur id, quod fidem & iustitiam in nobis excutit; non autem positive, & per modum causae. Videantur Amoenitates nostrae p. 497.* Atque in hisce cito Theologos Ienenses, & inprimis I. Musaeum, ac praeterea C. Dietericum. Quibus addi potest ex Theologis huius academiae Ioach. Hildebrandus Theol. dogmat. p. 559. Pudeat igitur, pudeat monitorem, nisi omnis ei periit pudor, iterum deprehendi in manifesto falso!

Pag. 359. Obi. 22. *Interdum Pontificiis victas praebet manus, & a nostrae sententia ecclesiae lubens recedit. Sic p. 301. concedit, certitudinem salutis non excludere omnem formidinem, nec esse omnimodam certitudinem.* ℟. Audimus novum falsum, & simul confusionem rerum distinctarum, aut minimum ambiguitatem, ac fallaciam a dicto secundum quid ad dictum simpliciter. Novum falsum, quod mihi ea verba tribuit, quae sunt *Walenburchiorum*; confusionem rerum distinctarum, aut minimum ambiguitatem, quod de certitudine salutis movet dubium, cum nos ibi agamus de *certitudine gratiae & remissionis peccatorum*, atque in statu controversiae cum nostratibus expresse dicamus, non heic sermonem esse de certitudine salutis futurae, sed de *certitudine subiecti*; fallaciam autem a dicto secundum quid ad dictum simpliciter,

ter, quia, quod Walenburchii scribunt de *certitudine respectu hominum*, & quidem de *certitudine fidei*, quae nititur sola Dei autoritate, prout terminum istum accipiunt Pontificii, ille ad quamcunque certitudinem salutis pessime transfert. Ostendo enim ibi ex Walenburchiis & Bellarmino, *certitudinem fiduciae partim niti divina promissione, partim propria dispositione*, & sic pergo ex iisdem referre: *Quatenus certitudo fiduciae nititur divina promissione, omnem simpliciter formidinem excludit, & est absolute atque simpliciter certitudo. Quatenus autem respicit propriam dispositionem, non excludit omnem formidinem, nec est omnimoda certitudo, quamvis sufficiat ad gignendam piam securitatem.* Idemque docet Concil. trid. Sess. VI. c. 9. Vide plura in tractatione huius controversiae p. 301. & seq. ubi explico diversam acceptionem termini *certitudo fidei* apud nos & Pontificios, & ostendo, eos non negare, *unumquemque fidelem teneri tam illud credere certitudine fidei, quod Deus fidelibus promisit*, (ut ipsis promisit remissionem peccatorum) *quam fidelibus & poenitentibus remitti peccata;* quin etiam eosdem concedere, *triplicem dari fiduciam*, & tertiam (quae iustificationem sequitur) sic describere, quod iustificatus, *eius vi acquiescat* misericordiae divinae; *fidem specialis promissionis*, qua quis certa fiducia statuit, se veniam peccatorum ac iustificationis gratiam vel obtenturum, vel obtinere, vel obtinuisse, esse donum Dei per Christum; dari *veram fidem*, qua quis credit, se iustificatum esse apud Deum; veram istam fidem, qua quis impellente Spiritu S. credit, se iustificatum esse, *reperiri etiam sine speciali revelatione;* iustum non esse dubium de sua iustitia, nec debere de ea dubitare, sed *posse certum esse* de sua gratia, certitudine sumpta pro determinato & vero assensu, qui non tantum excludat

dubitationem, sed etiam importet conformitatem assensus cum obiecto. &c.

Obi. 23. *Nec non legem impleri secundum ἐπιείκειαν evangelicam, p. 309.* ℞. Nihil aliud hic volo, quam quod mediante ἐπιείκεια evangelica, fideles & renati legem implere possint, non quidem absolute & perfecte, in tantum tamen, ut Deus inchoata ista obedientia contentus sit, nosque propter eam pro impletoribus legis habeat atque agnoscat. Sic docui in Disp. mea inaugurali, idque a Collegio theol. ienensi approbatum deinde transtuli in Amoenitates theolog. p. 509. Verba ipsa haec sunt: *Pater coelestis, qui opera filiorum suorum, tanquam contaminata, a facie sua reiicere & damnare posset, eadem tamen gratiose & secundum ἐπιείκειαν evangelicam, tanquam bona opera suscipit, defectibus merito filii sui obtectis, & variis mactat praemiis.* Sic etiam ante me docuit parens meus in System. theol. p. 362: *Quotidiana, quibus haec vita laborat, delicta, per imprudentiam & incogitantiam oborta, Deus fidelibus iuxta ἐπιείκειαν pacti evangelici haud imputat: & illis nihil obstantibus, homo censetur servare legem, ac Deum toto corde requirere, amare, & venerari.* Et prioribus temporibus I. Gerhardus L. de lege Dei §. 191: *Hoc suum iugum Christus vocat* suave & leve, *quia credentes ambulant in operibus bonis, non iuxta rigorem legalem, ut vel perfecta legis obedientia mereantur salutem, vel, si quid desit, damnentur, sed iuxta ἐπιείκειαν evangelicam, h. e. perfectam legis impletionem fide in Christo amplectuntur, & per Spiritum renovati delectantur lege Dei, secundum interiorem hominem: quae obedientia, licet rigori legis non omni ex parte satisfaciat, tamen placet Deo, quia ex fide & a dilectis filiis proficiscitur, ac si quid vel imperfecte vel minus fit, propter Christum ipsis condonatur.*

Obi.

Obi. 24. *Consensum nostrum urget cum moderatioribus Pontificiis, quos tamen confitetur docere, quod rom. Pontifex primatum de iure divino habeat.* p. 454. ℞. De nostro cum moderatioribus Pontificiis hac in parte consensu, ne verbulum quidem in cit. pag. reperies, recito autem sententiam Du Pinii, & nomina eorum scriptorum recenseo, quos sibimet consentientes ille allegavit.

Obi. 25. *Addit p. 457, si intelligatur primatus ordinis, id parum difficultatis habere.* ℞. Non dico, *parum difficultatis id habere*, sed sic loquor: *Quod si intelligitur de primatu honoris & ordinis, ratione successionis in sede apostolica*, (ut hactenus explicuit Du Pin) eo minus *habebit difficultatis, quo certius est 1. ex dictis scripturae supra allegatis, S. Petrum primo inter Apostolos loco commemorari, & primum expresse appellari, ratione ordinis & dignitatis, ut I. Olearius & Theodor. Hackspan. in Annot. ad Matth. X, 2. explicant. 2. Deum esse amatorem ordinis, & directionis, quae fit secundum ordinem, & ad eius conservationem, atque adeo, quicquid ad conservandum bonum ordinem & confusionem evitandam facit*, suo modo *ad ius divinum reduci, & inde denominationem accipere posse.* Cur ergo ex comparata mea locatione absolutam facit, & illud, *suo modo*, studio omittit?

Obi. 26. *Erasmi verbis, quae* (vult dicere, quibus) *obsignat, Pontifices* vicarios Dei *appellat.* p. 459. ℞. Erasmi verbis, utpote piis ac votum continentibus, hanc controversiam obsigno, propterea autem non teneor ad singulos eorum apices, si forte incommodum aliquod ineptulumve verbum inter illa exstaret. Verum enim vero quid opus est tricari & sophisticari in re tam clara? quid opus, nodum in scirpo quaerere? an non vicarii Christi sint illi Episcopi,

quibus

quibus (ut in Erasmi voto dicitur) *Christus mentem inspirat loco dignam, ut omisso suae gloriae, suae voluptatis, sui lucri studio*, studeant gloriae lucroque Christi, *malintque Christum late regnare legibus evangelicis, quam se in angusto tyrannidem obtinere decretis humanis?* eccur immemor est monitor eius, quod supra a nobis, videlicet p. 453, ex Walenburchiis adductum fuit, *Christum Iesum esse caput ecclesiae, qui solus per internum gratiae influxum eam regat*, nec in hoc vicarium agnoscat: *vocari autem Papam* caput ecclesiae, (aut vicarium Christi) *in quantum eius pastor & rector a Christo constitutus est?* Denique si quivis vel minimae ac tenuissimae ecclesiae pastor, vices Christi gerit, & gerere dici potest, secundum 2. Cor. 2, 10. & c. 5, 20. quidni etiam summus latinae ecclesiae Episcopus & Patriarcha, *si intra terminos suos se continet*, (nam de talibus sermo est in loco quaestionis) & ministri Christi officium sedulo ac diligenter facit?

Obi. 27. *Idem ipsi p. 306 videtur, bona opera esse necessaria ad salutem, & esse necessaria salvandis.* ℞. Equidem hoc non dico in citato loco, quod mihi idem videatur, sed haec sunt verba mea: *Bona opera esse necessaria ad salutem, seu* (ut alii malunt loqui) *salvandis:* interim certum est, utramque nostratium partem illis phrasibus nihil aliud quam hoc intendere, in eo, qui aliquando vult ac debet salvari, bona opera requiri, ut fructus fidei salvificae, & signa eius declarativa, omissionem autem & contemptum eorum privare hominem gratia Dei & vita aeterna. Vide Weinmanni Instit. theol. p. 253. parentis mei tractationem de Necessit. B. O. ad salut. & nostram in illam Praefationem, nec non G. Calixti Histor. Iosephi in Gen. 29, 11. & Resp. ad Hülsem. Meiss. Must. §. 22. & seq. & C. Horneii disput. ac scripta apologet. ead. de materia. Obi.

Obi. 28. *Interdum nostræ etiam ecclesiæ falsa tribuit, v.g. p. 287. concedere eam, quod fiducia sit effectus fidei.* ℞. Immo videat monitor, ne iterum falso se collutulet, dum illud alteri impingere laborat: nam per fallaciam divisionis omittit in recensendis verbis Walenburchiorum, quod non erat omittendum, *fiduciam esse duplicem, aliam obtinendae veniae, & aliam, qua quis confidit, sibi remissa esse peccata; illam praecedere, hanc sequi iustificationem.* Ceterum discat a Calixto in Exposit. litter. in ep. ad Ephes. c. 3, 12. *fiduciae iustificantis consequens & effectum esse fiduciam accedendi ad Deum.* Discat quoque a Gerhardo L. de Iustificat. §. 72. & 77. *etiam fiduciam iustificantem, certo modo ex fide oriri.*

Obi. 29. *Contra Chemnitium & Gerhardum pronunciat, Pontificios per* opus *suum* operatum *non excludere fidem, aliosque pios motus.* p. 3?3. ℞. Non contra Chemnitium & Gerhardum, sed ipsis, si requisita impleatur conditio, plane consentientibus, eo quod fatentur, *SI hoc vellent Pontificii, nullam esse controversiam.* At eos hoc velle, per testes idoneos affatim probavi.

P. 360. Obi. 30. *Nec poterit ipse diffiteri, ereptionem calicis & doctrinam de purgatorio plane cum fide nostra conciliari non posse.* ℞. Quid de utroque sentiam, clare & diserte exposui in consideratione illarum controversiarum.

Obi. 31. *Vtinam id mature considerasset, quando p. 316. scribit, Ecclesiæ romanæ imputari non posse, quod a fiducia in Christo avocet.* ℞. Vtinam libros illos a me citatos evolveret & sedato animo legeret, pariterque consideraret, toti communitati imputari non posse, si pars aliqua, aut partes quaedam, immo si plurimae partes deficiant: Sicut de tota ecclesia dici nequit, quod defecerit, etiamsi ad paucos re-

dacta fuerit tempore Eliae, & praevalentis arianismi. Simile autem subnexum, misere claudicat.

Pag. 361. Obi. 32. *Vtinam I. C. Dürrii epistola aeternum sepulta latuisset.* ℞. Vtinam hoc eius votum non iam esset inane, ac nimis serum. Sed poterit monitor rem praeclaram & suo dignam genio praestare, si eam refutandam, flagellandam, & iugulandam sibi sumserit, & totus chorus, si res bene cesserit, acclamabit: *Euge, Bonum factum!*

P. 362. Obi. 33. *Quantum detrimenti hinc capiat Ecclesia, vel inde constat, quod nuper Strimesius hanc Considerationem contra nostros ad causae suae fulcimentum adduxerit.* ℞. Concurrite igitur, eia, concurrite, quotquot cura tam ingentis damni Iosephi afficimini, concurrite ad illud reparandum atque tollendum! Sed salva res est, & salva ecclesia nostra: Verba enim, quae audivimus, non sunt vigilantis, sed somniantis. Hinc etiam nec librum celebris viri, nec paginam allegare sustinuit. Agedum ergo, utrumque ego ex liberalitate, & in gratiam lectoris, indicabo. Nempe in Brevi Delineat. consens. p. 123. mei facit mentionem. Sed non tam me ibi allegat vir clarissimus, quam Conringium & parentem meum, e quorum epistolis excerpta communicavi in Consid. mea p. 554. & 556. Quin etiam alios nostratium allegat pro suis sententiis, atque ad eorum consensum provocat, nominatim *autores Formulae concordiae* p. 57. *Lutherum* p. 16. 72. 75. *Lipsienses theologos* p. 141. *Hülsemannum* p. 74. *G. Calixtum* p. 73. 134. *Grosgebauerum* p. 49. *Conringium* p. 39. 127. & *Pufendorfium* p. 74. En, horum expressa allegatio, ecclesiae nostrae non est damnosa, sed illa mei, licet obiter & indirecte facta. *Risum teneatis, amici.*

Obi. 34. *Vix mica zeli pro veritate contra Pontificios*

&

& Reformatos hic apparet. ℞. Si per *veritatem* intelligit ea, quae tribuuntur diversis partibus, etiamsi illi contra imputata protestentur, & contraria omnia in symbolicis eorum libris, & recentioribus ac genuinis scriptis reperiantur, seu condemnationes propter dissensum in quaestionibus fundadamentum fidei & salutis non attingentibus, fateor, me non esse zeloten, nec esse velle: si vero sincerae & sacris literis consentaneae doctrinae puritatem, eiusque legitimam & modestam defensionem, iudicium esto penes lectorem, quum nullus dubitem, eum deprehensurum, monitorem aut non legisse totum librum meum, aut, ut materiam calumniandi haberet, dissimulasse. Zelus pro veritate, est sane laudabilis; sed debet esse cum recta & sufficiente scientia ac prudentia coniunctus, ne similis sit igni fatuo, aut fulguri e pelvi, vel tonitribus in scena motis, quæ non terrent, nisi simplices & ignorantes, nec aliam habent mercedem, quam ludibrium & contemtum. Vide Amoenit. nostras theol. p. 128.

Obi. 35. *Frigidissime agit in gravissimis capitibus de merito bonorum operum, de iustificatione, adoratione sanctorum, gratia universali.* ℞. Hoc dicit calidissimus monitor, sed non probat, & inscitiam pariter suam prodit, dum controversiam de merito bonorum operum annumerat gravissimis capitibus, cum omnium sit levissima, & Pontificii sententiam nostram, quae etiam Scotistarum est, tam facile possint pati, ac lenem aërem. Sed hoc non didicit bonus vir in lectionibus, quas audivit, ideoque ignorat. Vide Walenburchios T. 2. p. 554. & seqq. & Consid. nostr. p. 311. & seq. Sane ex gutta mare, ex pulvisculo montes, ex musca elephantum facere non didici. De reliquis autem doctrinis itidem consule librum nostrum, & melius informaberis.

Obi. 36. *Interdum vel ipso G. Calixto frigidior, & in adversarios pronior est.* ℞. Ergo etiam Calixtus frigiditatis arguitur? Ohe, iam satis est: heic enim tanquam sorex sibilo se prodit vespertilio, atque ex cantu cognoscitur avis, & ex affectu peccatum originis. Sed quod ad probationem de calixtina Calvini accusatione a me repudiata attinet, evolvatur pagina 510 libri mei, & ratio mea legatur: atque haec tam diu subsistet, donec firmiore everti, ac negari poterit, cuiusvis autoris verba in meliorem, quoad licet, sensum esse interpretanda. Sed, quod ulterius observandum, atque ex lectione patebit, nec simpliciter & absolute Calvinum defendi.

EX IV. CLASSE A. MDCCV.

Pag. 224. *Episcopus De S. Pons in Epist. ad Papam, multas doctrinas pontificias mollius moderatiusque proponit, quam eminentes in ecclesia pontificia* (ni fallor enim, hoc sibi vult cum sua locutione, Das Gros der Päbstischen Kirche) *faciunt, atque adeo sedem papalem bene corrigit. Sed & suo exemplo docet, superiorem & maiorem papatus partem, penitus talem moderationem reiicere. Quo ipso D. Fabricii nupera assertio refutatur.* ℞. Quaenam illa est, quaeso, & ubi exstat? Vide autem, quam sibi contradicat miser ille, quisquis est, relator. Ait, superiorem & maiorem papatus partem, penitus talem moderationem reiicere, & tamen in exemplum moderationis producit reverendissimum episcopum De S. Pons. An Episcopi non pertinent ad superiorem papatus partem? Inde igitur discat, etiam inter infulatos, nec minus inter purpuratos Patres reperiri, qui veritatis studio dediti, & moderationis laude decorandi sunt.

EX

EX XI. CLASSE EIVSDEM ANNI.

P. 671. *A veritate ablusit, quando scripsit, genuinos Pontificios, seu qui suxerunt ubera Rom. ecclesiae, (qui titulus utique Cardinalibus ante omnes alios competit) eiusmodi abominationibus* (sicut Cardinalis Poloniae in testamento suo intercessioni B. Mariae, Innocentii XI, & Felicissimae martyris se commendavit) *non esse deditos, neque fiduciam suam ponere in sanctis, aut eos ad latus Christi collocare.* R. Quis non videt, obtorto collo Considerationem meam huc rapi; & magnam iterum mihi fieri iniuriam? Vbi enim dixi, etiam genuinos Pontificios, seu (uti me explico p. 242) *eos, qui tenent ac profitentur, quod tota credit ecclesia romana, atque in libris suis symbolicis, aut cum hisce affinitatem habentibus,* intercessioni sanctorum, quam *abominationem* vocat, non esse deditos? Hoc autem dixi, *eos non adstringi expresso mandato ad implorandam intercessionem sanctorum, sed Concilium tridentinum tantum de eo loqui, quod bonum sit atque utile.* Interim male colligit relator ex desiderio intercessionis ad fiduciam erga sanctos *aequalem* ei, quae ponenda est in Deo, atque ad *collateralem* eorum honorem cum Christo. Non tam indoctus & imprudens impiusque fuit Cardinalis polonus, ut eiusmodi monstra & abominationes opinionum sibi fingeret & sequeretur, probe sciens, infinitam inter cultum Dei & sanctorum esse distantiam. Abeat igitur nasutulus censor, & melius discat doctrinam ecclesiae romanae de cultu & invocatione sanctorum; discat etiam, in quo, ex sententia Pontificiorum, *summa* sit collocanda fiducia; & deinde, si valet, compareat in arena disputationis. Vide interim Consid. nostrae pag. 416. & seqq. ac 316.

EX D. V. E. L.

APPENDICE
AD ARCANA DEI IUDICIA
CONTRA PAPATUM.

Pag. 107. Obi. 1. *Aliquot vicibus scribit, nullam remanere inter nos & Pontificios controversiam.* ℞. Ingenui adversarii est, paginas citare. Hoc si antagonista fecisset, inquiri posset, an ex mea, aliorumve sententia, & quo fundamento id scripserim. Sic autem circiter ante me etiam, particularibus in controversiis, alii ex nostratibus scripserunt: nam in controversia de sacramentorum novi testamenti efficacia ex opere operato, *Chemnitius* & *Gerhardus*, audita Alphonsi & Bellarmini declaratione, candide fatentur, *si hoc vellent Pontificii, nullam esse controversiam.* Idemque *Chemnitius* in E. C. T. parte I. de Iustif. quamvis imperfecta eius sit oratio, ait: *Si statum quaestionis* (Concilii trid. patres) *ita posuissent: Quid illud sit, propter quod Deus nobis placatus & propitius reddatur, qua re adoptio nostra apud Deum nitatur, propter quod coram tribunali Dei consistamus & absolvamur, ut simus heredes Dei, & acceptemur ad vitam aeternam.* Eadem in materia Hutterus Loc. theol. p. 473. *Quod si*, inquit, *de Causa formali iustificationis utrinque conveniret, omnis profecto reliqua controversia* (de iustificatione) *ultro exspiraret.* Velle autem illud Pontificios, & de causa formali iustificationis quoad rem utrinque convenire, iis, qui rationem admittunt; nec nimis rigidi sunt, sufficienter ostendi p. 322, & 291.

Obi. 2. *Pag. 483. auctorem libelli gallicani*, Leonem De la Guitonniere, *ponit inter eos, qui laudem moderationis merentur,*

rentur, cum tamen Socinianos & Quakeros approbet. ℞. Verum, an fictum sit nomen *De la Guitonniere*, mihi quidem non liquet. Neque etiam scio, quis & qualis ille sit; multo minus, quod socinianus, aut quakerus. Interim ne quis materiam me calumniandi facile arripere posset, ipse volui allegare locum Actorum eruditorum, in quo ille suspicione socinismi gravatur. Immo etiam hunc in finem allegationem illam institui, ut, si esset socinianus, prudens & aequus lector inde sic colligeret: Si ille scriptor est socinianus, & tamen moderate iudicat de plurimis controversiis pontificiis, (cum alioqui Sociniani magis distent a Pontificiis, quam Protestantes) utique hoc ad mentem est revocandum, & accuratius illae perpendendae. Nimirum testimonia, quae ab hostibus proficiscuntur, maioris quam domestica sunt aestimanda. Hinc magni nominis Gerhardus, & alii nostratium, probationibus suis subiungere solent testimonia adversariorum, idemque laudatus vir vastum opus *Confessionis catholicae* ex meris eiusmodi testimoniis collegit & concinnavit. Ecquid tandem sibi vult antagonista cum ista sua obiectione? an doctori & professori theologiae illicitum est, nominare, citare, & certo modo laudare scriptorem in religione dissentientem, aut etiam haereticum, hebraeum, muhammedanum, paganum? Apage cum istis ineptiis: nam cuivis christiano, & multo magis doctori, *omnia sunt probanda, & bonum retinendum*, atque etiam in hoste virtus laudanda. Vide Brelerum in Myster. iniqu. pseudoevang. p. 97. 99. & in Dedicat. Vindiciarum (c) 6.

EX ALIIS.

Obi. 1. *Quid nos hic doceat in Consideratione sua? Maiores*

iores nostri etiam non fuerunt stulti, ut non cernere potuerint verum. ℞. Cum apostolo ex 1.Thess. 5, 21. *Omnia probate, quod bonum fuerit, retinete.* ex 1. Cor. 12, 11. *Spiritus sua dona distribuit, sicut vult.* ex eiusd. epistolae c. 7, 23. *Ne estote servi hominum.* & cum Seneca ex epist. 33. *Qui ante nos fuerunt & scripserunt, non domini nostri, sed duces sunt. Patet omnibus veritas: nondum est occupata.* ut taceam illud poëtae: *Saepe etiam est olitor valde opportuna locutus.* Ego nec me effero libro meo, nec maiores laedo aut contemno, sed potissimum id ago, ut utriusque partis sententias candide proponam, & doctorum prudentumque virorum iudicia, si quae in promptu sunt, subiungam. Videatur autem, quid Lutherus ad similem obiectionem respondeat in glossa ad 1. Sam. 2, 3. & adde sis Breleri Epist. dedic. Vindiciarum pro Myster. iniqu. (c) 3.

Obi. 2. *Autor ulterius progreditur, quam ausus est G. Calixtus: hic enim tantum tolerantiam diversarum partium suasit; ille vero unionem intendit.* ℞. Ego doctrinam utriusque partis considero & expendo, non autem, uti supra dixi, unionem molior aut intendo. Quod vero tractatio mea eo viam parare possit, nolim negare: nam ex moderata, neque tamen a veritatis tramite abeunte controversiarum tractatione, unio illa redditur facilior. Interim ex vero iterum dicere possum, me illam non intendere, nec, quia discentibus scripsi, intendere potuisse. Vide respons. nostram ad Obi. 2. p. 11. Falsum autem est, G. Calixtum ultra tolerantiam non cogitasse, aut suasisse: habuit enim utique pro scopo unionem, deinde vero demum, si haec obtineri non posset, tolerantiam, ceu patet ex ipsius Desid. & stud. concord. eccles. §. 5. & 25. & Resp. ad Hülsem. Meißn. Must. §. 113. ac filii

filii Praefat. in Demonstrat. liquidiss. b. Confer etiam huius Dedicat. iteratae editioni Consultat. de Toler. Reform. praefixam p. 6.

CONTRA GVIL. FORBESII
ITERATAM EDITIONEM.

Obi. 1. *Forbesius fuit in pectore Pontificius.* ℞. Hoc nemini credimus, nisi ei, qui pectus penetrare & scrutari potest. Contrarium autem probari potest ex vetere Praefatione, Vitae eius elencho, & ipsius lectione scripti, in quo toties refutat Pontificios: immo etiam iusto rigidior est in controversia de merito bonorum operum. Vide Acta erudit. A. 1704. p. 423.

Obi. 2. *Fidei capita & hypotheses non satis perspectas habuit, easque incrustavit non raro.* ℞. Dictum audimus, sed absque ulla probatione. Lectio libri, pro auctore respondebit, & imprudentiam obiicientis confundet.

Obi. 3. *Forbesius & eius similes, nihil acturi sunt in unione religionum, quoad haec Bellarmini in Apol. contra regem Angl. p. 161. Romae valebunt:* Qui negant, caput Ecclesiae S. Petrum fuisse, eundemq; primatum inter Apostolos habuisse, atque in eod. primatu Romanos Pontifices S. Petro succedere, ii fidem catholicam negant. *Qui Acta concilii tridentini legerunt, qui Pontificum Bullas, & Constitutiones, per Barbosam & Gavantum collectas, qui VII. librum Decretalium, qui Caraffae Germaniam sacram instauratam, qui Pontificis legati actiones in monasteriensibus de pace publica tractationibus, qui Papae Innocentii X. Bullam cassatoriam pacis Osnabrugae & Monasterii factae, Romae*

d. 26. Novemb. A. 1648 publicatam, & ibi, Neapoli, & Viennæ editam publice, sciunt, quid de tali pacificatione habendum. Roma & Dordracum, nunquam cum Augusta sunt conventuræ. ℞. Haec omnia recte opponuntur ei, qui sibi persuadet, perquam facile fore negotium unionis, minus recte autem celeberrimo Forbesio, utpote opinionem de facilitate illius negotii minime foventi, sed scholastico seu academico more, cum voto tamen ac desiderio futurae concordiae, controversias ventilanti. Quamdiu Roma, Dordracum, & Augusta, mutuis anathematismis inter se pugnant, sane convenire nequeunt; sed si sapientissimi Principes & Magistratus cum fidelibus Ministris & cordatis Theologis, in timore Domini manum salutari operi admovere vellent, & inter alia praeliminarium capita, condemnationes ab omni parte cessare iuberentur, ac opera caritatis sedulo ac sincere exercerentur, quis scit, quid Deo adiuvante futurum esset, & annon laeta ecclesiae facies sese ostentaret?

Obi. 4. *Guil. Forbesii Considerationes, ad promovendum opus unionis religionum Berolinense, edidit, & D. Episcopo Ursino dedicavit pariter ac laudavit.* Relat. innoc. A. 1704. p. 695. ℞. Bone Deus, quid magis absonum fingi, aut dici posset? Forbesius enim consideravit controversias, quae Protestantibus intercedunt cum Pontificiis; sed negotium berolinense, (de quo quidem mallem tacere, tanquam re sacra & aliena) secundum ipsius oppositoris sententiam, versatur circa viam componendi controversias, quae sunt Reformatos inter & Evangelicos. Nisi omnia me fallunt, relator ille, quisquis sit, librum Forbesii non legit, immo plane non vidit, vel obiter duntaxat eius titulum inspexit, atque ita erronee supposuit, agi in eo idem cum berolinensi nego-

negotium: unde in recensione sua omisit verba haec, quae tamen in titulo exprimuntur, *de Iustificatione, Purgatorio, Invocatione sanctorum, Christo mediatore, & Eucharistia.* Aut forte ex dedicatione ad reverendissimum primumque Reformatae in Germania ecclesiae Episcopum conclusit, in libro isto non posse non tractari controversias, quas nos habemus cum Reformatis? Sed falsus est bonus vir, aliosque fefellit.

Obi. 5. *Forbesius hoc in libro plane frustraneum, offendiculi periculique plenum, & cum gravissimis erroribus coniunctum laborem suscepit, quia* (1) Christus antichristum romanum conficiet (non autem conciliabit) spiritu oris sui, 2. Thess. 2, 8. (2) Qui inter Pontificios de papatu deserendo consilia inire coeperunt, iis per henotica consilia ingens iniicitur remora, sicut qui ad papatum transierunt, vel transire cupiunt, in iis exoptatissimum praetextum reperiunt. (3) Offendicula plurimum periculi secum ferunt: immo ipse periculosam & salutari reformationis operi nocivam vocem emisit, scribens: *Si plures fuissent Cassandri & Wicelii, non opus fuisset Luthero aut Calvino.* (4) Potiores eius errores hi sunt, Nos *sola fide* non iustificari: *Verba Iacobi de iustificatione Abrahami ex operibus*, non esse accipienda de sola iustitiæ apud homines declaratione, sed de ipsa coram Deo iustificatione: *Paulum* nunquam, vel nusquam excludere a iustificatione nostri opera in fide Christi fundata, & ex ea profecta, sed tantum opera, quae fidem Christi praecedunt, & ex sola legis cognitione profluunt: Nihil fere magis iniuriose & contumeliose dici posse, quam asserere, *nos nihil prorsus vel cogitare vel dicere, vel agere posse, quod purum sit* a peccati sorde: Christum etiam esse *legislatorem*: & doctrinam *de trans-*

substantiatione, non esse hæreticam. S. E. in Episagm. Diatribes de Conf. union. a calvin. doctorib. quæs. p. 92. ℞. Haec est communis obiectio, quae cuivis libro, quem quis odio & contemtui exponere vult, fieri potest. Probationes autem allatae, valde sunt infirmae. In prima enim est petitio principii, & fallacia oppositorum: in secunda, fallacia non causae, ut causae: in tertia iterum petitio principii, neque dictum praestantissimi auctoris ullo modo detrahit honori Reformationis, sed hoc tantum vult, Cassandrum & Wicelium improbasse abusus pontificios, sique hi cessassent, non surrecturum fuisse Lutherum. Denique quod attinet ad errores ipsi impactos, de veritate dictorum non poteris melius informari, quam si integros scriptoris textus legas ac relegas: tunc enim videbis, errores aut nullos esse, aut iusto longe maiores repraesentatos. Vt autem, qualis quantusque fuerit Forbesius, pateat, eruditorum de eo testimonia & iudicia infra communicabimus.

CONTRA COMPENDIVM
REGVLAE FIDEI VERONIANAE.

Obi. 1. *Fr. Veronius fuit scriptor & doctor privatus, nec habet autoritatem in tota Ecclesia Romana.* ℞. Approbatus tamen est ab universo Clero gallicano, nec minus valet Romae & alibi apud ecclesiae romanae filios, quia non aliam, quam Concilii tridentini doctrinam proponit. Tuto huic libello potes fidere, tanquam recepto, approbato, & propemodum symbolico. Vide Praefat. auctoris, qui Compendium hoc formavit, & Acta erudit. A. 1704. p. 424.

Obi.

Obi. 2. *Fuit doctrinae de regicidio defensor.* ℞. Ille fuit alius a nostro: erat enim constantinus, dictus *François De Verone*, quum noster esset parisinus, nomine *François Veron*. Si autem unus idemque esset, nihil tamen obstaret, quo minus de doctrina Romanensium testari, & libellum dogmaticum edere potuisset. Vide Acta erudit. l. c.

Obi. 3. *Videtur in quibusdam nimium Pontificiis applaudere.* ℞. Nihil aliud proponit, quam quod in tota romana ecclesia receptum, omnibusque eius membris acceptandum & credendum est.

Obi. 4. *Non decebat Doctorem theologum & Protestantem, de novo imprimi curare scriptum hominis Pontificii.* ℞. Audio, non decere, sed nullam audio rationem, cur non deceat: quaecunque autem afferretur, infirma esset atque invalida. Ego enim ideo eum libellum edidi, ut, quae sint credenda vel non credenda, adeoque quae possint in controversiam vocari, quaeque non possint; facile & quasi in synopsi perspicere valeas; cum alioqui nihil frequentius sit, quam ut adversariorum sententiae non recte capiantur, nec sincere proponantur, quaedam etiam plane frustra & incassum oppugnentur. Vtile igitur est, eiusmodi libellum habere, qui fidelis hodegetae vicem praestet, ne umbram pro corpore, tenebras pro luce, fumum pro igne, & larvam pro homine captes & amplectaris. Et habeo ante me exempla praestantium ex nostratibus theologorum, ne quid de aliis dicam, qui diversarum maximeque discrepantium religionum tractatus ediderunt. Nam *A Fuchte* Clemangii quid typis excudi curavit; *C. Horneius* Coci Censuram, eiusque filius *Ioannes* Metrophanis Confessionem, *G. Calixtus* Cassandrum de Communione sub una, *I. Bened. Carpzovius*

 Light-

Lightfooti Horas hebr. & talmudicas, *Grosgebauer* Iof. Halli libellum de Antiqua religione, *Seb. Schmidius* tractatus talmudicos Schabbath & Erubhin, *Hackſpanius* Nizzachon Lipmanni, *I. Saubertus* filius R. Leonis Iudae librum de Templo hierofol., *Hinckelmannus* Coranum, *Feurbornius* Eniedinum. Nonne etiam apud nos iteratis curis prodeunt fcripta Bernhardi abbatis claraevallenfis, Kempifii, Rusbrochii, Tauleri, Catharinae de Genua, Theologi teutonici, Therefiae, Blofii, Erafmi, & aliorum Pontificiorum?

* * *

SIc iam per Dei gratiam exantlavimus laborem noftrum, mihi certe eo moleftiorem, quo minus delector cum rixofis agere hominibus, & ferram difputationis cum iis reciprocare: malo enim docere ac difcere, quam pugnare, exftruere, quam deftruere, atque in amoenis litterarum campis deambulare, quam foetulentum Augiae ftabulum repurgare. Et fidem tuam obteftor, pie ac erudite Lector, num quid caufae habuerunt antagoniftae, ut tantos ftrepitus ac tumultus tanta cum ferocia, nobis autem haec, fcilicet, otia facerent? quid eft, nugas & fumos vendere, fi hoc non eft? nonne clariffime vides, eos nihil aliud quam verba feciffe, ac verba dediffe, ut eheu communiter fieri folet ab iis, qui aliorum fcriptorum cenfuram dictatorio more ac temerario aufu arri-

arripiunt, quasi ad eam rite vocati, ſatisque apti & idonei, atque omnibus neceſſariis ad opus requiſitis inſtructi, immo incomparabiles atque infallibiles eſſent? Nimirum iſti revera ſunt ex eorum numero, de quibus apud comicum legimus: *Faciunt nae intelligendo ut nihil intelligant.* O quam multa vidi ego, videoque quotidie, in aliorum, atque ipſorum hoſtium meorum ſcriptis, quae iuſta animadverſione ac refutatione excipi mererentur! Sed abſit, ut eo dementiae unquam delabar, atque in aliorum laboribus reprehendendis operam ponam, eosque ex profeſſo refutare annitar: *Indignum* enim *viris honoratis hoc eſſe* iudico, ac ſemper iudicavi, cum prudentiſſimo Petavio, Parlamenti ſeu Iudicii pariſienſis quondam conſiliario, cuius verba adducuntur (*) a Colomeſio in lib. cui titulus, *Bibliotheque choiſie*, p. 114. Itaque per me quivis a ſolenni refutatione tuti erunt, atque in pace relinquentur. Quod ſi autem graculi clamores contra me ſuos non intermittere, neque ulla ratione quieſcere, ſed in muſtaceo contradictionis & contentionis, quantumvis nec ſolidae, nec neceſſariae, laureolam quaerere ulterius voluerint, libertatem aut potius licentiam atque amentiam iſtam ipſis lubens relinquam, ſed interim a meo quod in Prae-

(*) *C' eſt choſe ce me ſemble ſi indigne de gens d' honneur, d' ecrire ex profeſſo les uns contre les autres, que je n' y oſe penſer.*

Praefatione exposui proposito non me patiar dimoveri, *meque*, (*) cum Phil. Melanchthone, *rectis iudiciis bonorum, & meae conscientiae testimonio, & exemplis bonorum virorum, qui & ipsi plagas iniustas in rep. acceperunt, consolabor.* Atque ideo iam, prout superius pollicitus sum, virorum eruditorum de libro meo testimonia & iudicia in medium proferam, modo prius hoc unicum aperuero, me non agnoscere pro meo scripto, quod citra meam notitiam & consensum ullibi fuerit impressum, adeoque nec illud *Responsum*, quod nuper in celebri quadam superioris Germaniae urbe, nec plenum, nec cum praescitu meo, immo & mendose, ut audio, fuit editum. Atque hoc, quod iam scribo, solennis contra illam editionem protestationis vicem ac vim habere, proque tali agnosci volo ac pronuntio. Alioqui haud ingratum fuerit, si forte integrum publico communicandum ei videatur, penes quem potestas est, cum pari prudentia coniuncta: dummodo aliorum consentientia ei adiungantur Responsa, rumpantur ut ilia Momo, & alma veritas retecta facie, discussisque variarum opinionum, suspicionum, fictionum, & sermonum tenebris, appareat, ac splendorem suum absque ullo obstaculo diffundere, glorioseque triumphare possit.

TE-

(*) Tom. II. Epist. p. 27.

VIRORVM ERVDITORVM ET MAGNORVM TESTIMONIA ET IVDICIA DE CONSIDERATIONE VAR. CONTROVERSIARVM.

I.
EX EVANGELICO-LVTHERANIS.

1 Nosti, me in re ipsa tecum idem sentire, praesertim cum omnia reducas ad locutiones sacrae scripturae & purioris antiquitatis: quae commodissima mihi semper visa fuit conciliationis via.

2 Repertum est, hoc scriptum promovere commodum studiosae iuventutis aliorumque, sicut & ab illis, qui id legerunt, valde laudatur & approbatur.

3 Valde doleo, iterum prodiisse coecum zeloten, qui inter alios te odio prosequitur propter studium moderationis & concordiae ecclesiasticae, & scripta tua doctissima traducit.

4 Vtinam omnes christiani Magistratus melius observarent animalia scribacia, & contentiosos homines, qui sine vocatione omnibus contradicunt, & secundum distinctiunculas suas decidere nituntur: sic laetiore quiete in ecclesia frueremur, & per consequens meliores darentur Christiani. Interim tractatus tuus a multis hic aestimatur & approbatur. Dominus N. magni in omnibus te aestimat, quippe qui in rebus theologicis probe versatus est, & in controversiis valde moderatus, atque adeo Considerationem tuam suo palato conformem reperit, dicens, se, si ipsi proponendae essent controversiae, eandem methodum secuturum esse. Legit etiam laudatus vir adversarii schediasma cum cura, nec tantum erga me, sed etiam in publico testatus est, se non reperire, quid causae ille ad contradicendum habuerit, nisi quod veterem tritamque non observaveris regulam, *Non esse fidem habendam Reformatis, quicquid dicant aut scribant, quia meris tumeant reservationibus mentalibus.* Qui iam Reformatos ex

hoc principio non iudicat, is adversario debet esse haereticus. At bellum mehercle principium, quod non modo charitatem, sed omnem penitus humanitatem e medio tollit. In vita civili verbis viri honesti creditur: cur non etiam in rebus divinis? Sed huc usque satanas rem suam promovit.

5 Lis omnis inde orta, quod D. Fabricius in omnibus magnam erga adversarios moderationem adhibet.

6 Es apud virum Principem istum in iusto pretio. Quin ubi Dei eiusque Christi causa, debita pietate ac circumspectione agitur, ecquid formidemus, si hi & isti dente theonino nos arrodant & mordeant?

7 Doleo vicem viri, non tam, quod pœnam hanc luat, quam quod studia sua & a Deo concessa dona, contra meritissimos de ecclesia theologos impendat, quorum labores atque vigilias debito amoris honorisque excipere debuisset osculo.

8 Vtinam omnes nostri theologi tuam amplecterentur moderationem: tunc enim in ecclesia multum boni sequeretur.

9 Denique in hoc novo anno commendo te protectioni divinae. Is te servet, tuaque & aliorum piorum theologorum moderatione christianam religionem tueatur & promoveat.

10 Vtinam multi essent in mundo Fabricii: sic foret, ut non ita nos mutuo haereseos accusaremus & condemnaremus.

11 Deus te nobis servet, & in pio tuo proposito (*moderandi controversias*) confirmet.

12 Ego librum tuum magno cum gaudio perlustravi.

13 Mira animi dulcedine perfundebar, ubi advertebam, te nova, eaque pulcherrima methodo controversias versare. Neque enim configis solummodo atheos infidelesque, sed fissuras etiam ac vulnera eorum, qui Dominum profitentur ac amant, obligas; neque vero pallias, ad curae Medicorum palliativae formam, eadem, sed ulcera curate expressa coalescere facis, probe conscius, & minimum nodulum, si in vulnere lateat, illud denuo praeter omnem saepius exspectationem exulcerare. Nullius siquidem momenti saepiuscule videtur, placitum aliquod religionisque fundamentum non convellere, quum tamen

tamen eius fulcimenta arcuatis cuniculis e longinquo veluti subruat, eximio documento, quam circumspecte versari deceat in ipsomet μικρῷ, illo nempe, quod sepimenti instar fidei acropolin circumvallat, in quo ipso & Ebraeorum circumspectationem, nî artes, saepe miratus sum. Non itaque possum non tibi gratulari de illustri istiusmodi inusitatae eruditionis monumento.

14 Considerationem tuam considerate consideravi, nec video, quis in illa desiderare quid posit, nisi qui a mente Christi alienus est, qui moderatos & pacificos, & veritatis studiosos nos esse vult.

15 Quam inique ille egerit, Considerationis attenta lectio me docuit.

16 Gratias quas debeo ago & pro fiducia, quam de meo candore habes, & de scriptis tuis, quae subinde abs te accepi, quibusque utor cum fructu in controversiis, quas pro munere meo evolvendas habeo.

17 Consideratio tua controversiarum, & inprimis eius *Praefatio*, multis Batavis mirifice placuit, & doctissimus Clericus dixit & scripsit, *Praefationem dictam omnibus Christianis ediscendam esse.* Et sane, si illa recte intelligatur, idem optarim.

18 Contra tuam Considerationem multi, ut facile coniicere potes, os aperiunt, quia plurimi lucem & pacem oderunt, e contrario autem tenebris & obscuro delectantur, atque in hoc requiem suam habent. Tu interim moderationem suadendo, atque abusus & errores vulgares & his & illis monstrando, functus es officio veri theologi & boni viri, neque curare debes latratus canum, &c.

19 Perlustravi libros (*Gul. Forbesii*, & *Considerationis*) non sine voluptate, nec possum non doctrinae tuae copiam, cum singulari moderatione, & pacis atque aequitatis studio coniunctam, vehementer laudare.

20 Venerationem & amorem meum testaberis carissimo, pacis studioso, & doctissimo D. Fabricio, dicesque, eius Considerationem controversiarum mihi plane satisfecisse, meque optare frui eius commercio litterarum.

21 Praeclari operis tui Controversiarum quae transmisisti, bona ex parte legi, valdeque sum delectatus & doctrina plena iudicii, &

nervosa perspicuitate. Video enim & selecta afferri & utilia, eaque passim eruditionis atque expositionis lumine collustrari. *Dedicatio* non poterit non honorifica & grata iis esse, quibus destinasti.

22 Memor commercii litterarum, quod, cum Altorfi Noricorum adhuc esses, inter nos fuit, favorisque inusitati, quo me prosecutus es, non potui non, oblata commoda occasione, intermissum aliquamdiu officium renovare, & gratulari tibi ex animo, quod te Deus ex patria academia in Iuliam transtulerit, ubi ampliorem habes campum decurrendi, & dona divinitus concessa uberius exponendi, quemadmodum id factum testantur scripta egregia, luci publicae iam exposita. Faxit pater luminum, ut diu luceas & prosis erudito orbi, ac ecclesiae cumprimis nostrae, quae proh dolor hisce temporibus magis, quam unquam alias, concutitur, iactatur, & coarctatur, dum doctores alii alios non tantum heterodoxiae cujusdam insimulant, sed & aperte accusant, & damnant. Vtinam *τὸ ἀληθεύειν ἐν ἀγάπῃ*, *veritatis studium in charitate* vigeret inter omnes, ut ea certe non infima laus est Iuliae vestrae.

23 Considerationem controversiarum lego, quando vacat, & reperio, si omnes theologi controversias tractantes, inutiles λογομαχίας seponerent, & sic pie & placide, ut tua venerabilis Dignitas, rem ciusque veritatem proponerent, facile hac via ad salutarem concordiam perveniri posse.

24 Apud illustres viros, N.N. applausum nactus es singularem, iique integrum scriptum a capite ad calcem perlegerunt.

25 Ego semper delectatus sum isto Christi, *Beati pacifici*. Idcirco maximo in pretio semper habui illos, qui studio irenico strenue navarunt operam, & adhuc navant. Inter hos te nomen profiteri, & audivi ex aliis, & nunc coram video. Gaudeo, & beatos praeceptores meos nactos esse successores cathedra quondam sua dignos.

26 ELenChI & LItIs MoDeratIo.
In ContentIone MoDeratIo & CharItas.
In MoDeratIone CarItas & sanCtItas.

27 Non dubito, quin labor ille laudatissimus, quem componendis minus necessariis controversiis impendis, omnibus εἰρηνοποιοῖς sit futu-

futurus gratissimus. Vtinam plures orirentur in academiis nostris, qui sopiendorum schismatum piam curam cogitationemque suscipe-rent, priusquam mutuis dissidiis ac intestinis odiis prorsus confice-remur.

28 Valde salutare & utile opus, edendo eiusmodi scripta, quae viam ad pacem ecclesiasticam struunt, praestitisti.

29 Ego tibi affirmo, eiusmodi scripta theologica me valde delectare.

30 Quanto desiderio tenear, Considerationem tuam debita inten-tione legendi, dici vix potest, cum non nisi Forbesiana, vereque adeo christiana, nec nisi te digna principia in iis expectem; quae si ab omnibus aeque observarentur, prout sub poena amissionis cha-racteris *discipuli Christi* omnino oportet, brevi certe omnes dissensio-nes & schismata in ecclesia cessarent.

31 Dn. N. multoties tui, tuaeque Considerationis, cum laude & praeconio, mentionem facit.

32 Non possum interim, quin depraedicem eius insignem erga venerabilem Dignitatem tuam propensionem. Saepius in suis lectio-nibus, cum elogio, quanto potest, extollit aliqua ex scriptis tuis, quae doctis scripta palam profitetur.

33 Meum erga te litteris testari animum iam pridem constitue-ram. Quod & ab homine, qui te ob eruditionem singularem, iu-diciumque, quo polles in rebus theologicis discernendis, exquisitum, amat, colit, & veneratur, facile exspectaveris. Nosti ipsemet, vir summe reverende, in quanto periculo constituti, quotque hominum maximam partem ineptorum iudiciis expositi sint, nostra praesertim aetate, qui cum eruditione pietatem animumque moderatum con-iungunt. Idque ipse, uti credo, iam expertus es.

34 Sophistas istos, qui tuam famam lacerant, magno velim animo contemnas. Ita enim credas velim, omnes cordatos iudicare, tuam eruditionem, indeque ortam apud viros rerum harum intelligentes exi-stimationem longe maiorem esse, quam ut vel minima ei adspergi labes queat. Itane Fabricium descendere in certamen cum istis tenebrioni-bus? Non digni sunt, quos cures. Est hodie is rerum status, ut gloria sit & decus, ab istis impietatis & barbariei magistris in numerum hae-

 retico-

reticorum, syncretistarum, & si quae alia nomina contendendi excogitavit pruritus, referri. Sed istud non ideo scribo, ac si ipsemet, quae tua est prudentia, nescires, quid factu opus esset, sed ut, quae omnium recte sentientium de te opinio sit, vel me indice, magis magisque rescires.

35 Deus tibi largiatur porro vires, laboribusque benedicat, ut ingente ista ac singulari soliditatis & moderationis theologicae mensura diu prodesse queas bono publico.

36 Vtinam plures tuum spirarent genium: ita enim ad tuum exemplum multa inde commoda ecclesia nostra expectatura esset. Perge autem, vir optime, uti prudentissime incepisti, nec livor hominum aut calumniae te dimoveant a negotio & Deo & Reip. gratissimo.

37 Inconcussa adhuc est tua, venerabilis domine, Consideratio, exceptis quorundam insulsis adversus solem latratibus, quibus nulli, quam iis, qui nugis delectantur, satisfaciunt. Quicquid dicant, tandem cogentur fateri, moderatioribus ex Pontificiis alteram etiam aurem commodandam, nisi omni aequitati valedixerint. Sed litigiis, aut lamentis suis parum proficient.

38 Vtinam omnes homines tam pias & pacis amantes, quam tu, haberent cogitationes: utique res staret melius.

39 Scripta tua, quae hactenus evolvere mihi licuit, & doctrina rariori, & prudentiae ac moderationis vere theologicae crebris indiciis mirifice me delectarunt.

II.
EX PONTIFICIIS.

1 Notum facimus, & attestamur, quod librum, cuius titulus est, *Ioannis Fabricii S. Theol. D. Consideratio variarum controversiarum*, viderimus legerimusque, quem quidem approbare nec intendimus, nec possumus, nec debemus, ob dogmata fidei nostrae orthodoxae Romanae & Catholicae contraria; hoc tamen ad rescriptum domini autoris dicimus & respondemus, quod loca ex nostris orthodoxis doctoribus desumpta satis bene citaverit & allegaverit: applicationem tamen eorum per omnia non probamus. 2. P. N.

2 P. N. vir summe eruditus & candidus, Considerationem tuam valde laudavit, teque magni aestimat.

3 Apud N. in magna tu tuaque scripta estis aestimatione, & cum delectatione & applausu singulari controversias tuas pellegit.

4 P. N. modum tuum controversias tractandi quam maxime laudat, teque & ingenue satis & recte mentem suae ecclesiae proposuisse agnoscit, temporalemque tibi, ac tandem aeternam ex animo apprecatur salutem.

5 P. N. ex lectione Considerationis satis deprehendit, autorem eius maxime ingenuum & candidum esse.

6 Tractatum controversiarum fidei, quae Protestantes inter & Romano-Catholicos ventilantur, studiose perlegi, ac mirum est, quantam in stylo modestiam, quantam prae se ferat sinceritatem, dum controvertentes ac dissidentes in fidei doctrina animos componere satagens, publicae deservit utilitati.

7 Maximas habeo gratias pro donatis mihi modestis & pacificis controversiarum Considerationibus, tam propriis, quam Forbesianis, nec cessabo pro te dominum Deum orare, ut super te multiplicet suae gratiae auxilia, faxitque, ut candidam tuam in tractandis fidei controversiis ingenuitatem plures imitentur.

8 Gratissimi mi sono stati i due libri, poiche dà che aueuo auuto notizzia di essi dagli Atti degli Eruditi di Lipsia dell' anno 1704, bramauo ardentissimamente di vedergli, e di leggergli. Hò più uolte uoluto scriuerle, per supplicarla à fauorirmene, mà non hò mai ardito di farlo. Se V. S. Ill.ma con la sua immensa cortesia non si fosse degnata di mandarmegli, io non poteuo mai auer la fortuna di uedergli, e di leggergli, poiche quà non capitano più libri, essendo gli studi per terra.

9 Laconice respondeo, contestorque sancte, me non solum librum a praenobili & excellentissima Dominatione vestra conscriptum, sed & ipsam, ob singularem prudentiam, doctrinam, & maximam moderationem animi coram praenobili domino N. sed & coram Serenissimo nostro, uti & aliis magna dignitate conspicuis, multum laudasse, laudareque adhuc, ex aequitate rei, cum voto, ut Deus ter opt.

opt. max. plures excitet, qui dissidia nostrarum religionum integra mente, sancto animo, & composito ad omnem modestiam modo examinent, indeque iudicent.

10 Ambos libros (*Considerationum Forbesii & Fabricii*) ipsius Sereniss. bibliothecae commendabo, ut ibi sint ad perpetuam laudem praenobilis & magnificae Dominationis vestrae, ob profundam scientiam, seu potius sapientiam, eximiam doctrinam, & prorsus singularem modestiam ac integritatem, quae ubique eminet. Faxit Deus ter opt. max. ut tam praeclaras virtutes plures docti aemulentur; & desinet profecto ex integro tam exitiale dissidium, quale inter me & virtutem praeclaram praenobilis ac magnificae Dominationis vestrae profecto nullum est, &, ut credo, inter nullos vere probos, doctos defaecatae rationis, & virtutibus addictos unquam erit, sed potius pax alma, unitas firma, & concordia pulcherrima.

11 Insuper obligatum me esse profiteor, quod rev.ma Dominatio vestra tractatum suum de Controversiis mihi offerre voluerit. Candori, pacis studio, ac modestiae rev.mae Dominat. vestrae, quae in omnibus eiusdem scriptis prodit se, lubens meum adiicio calculum.

12 Spero però, di poterle mostrare in effetto, in quanta stima ch' io tenga li lumi singolari, ch' essa fà comparire nella dottissima sua Consideratione.

13 Controversiae tuae in manus indiscreti cuiusdam papicolae inciderunt, qui librum non sine scandalo tolerari posse aiebat. Sed breve hoc ab illustrissimis Ministris tulit responsum, sui non esse officii, ad quemvis immoderati affectus motum statim insurgere, quin potius, seposito omni partium studio, scripta eiusmodi esse legenda atque ponderanda.

14 De libro Dn. Fabricii, qui una cum Dissertatione aliqua theologica *de Reverentia erga sacra*, ante aliquod tempus huc perlatus est, & ad manus mei P..... pervenit, ab eodem intellexi, librum a se hinc inde inspectum fuisse, in quo invenerit modestiam autoris valde commendabilem, & animum a calumniis prorsus alienum; ipsam vero *Dissertationem de Reverentia erga sacra* ostendere, eundem sacris plurimum addictum, ipsumque libellum dignum esse, qui in ecclesiis etiam legatur.

III.

III.

EX REFORMATIS.

1 Scio, te fovere opiniones moderatas & pacificas, ac ſine acerbitate loqui.

2 N. vidit perlegitque *Praefationem* tuam libri Forbeſiani, & gratioſiſſime mihi iniunxit, ut ſingularem, quam exinde erga te concepit, propenſionem --- tibi ſignificarem.

3 Non credis, quanta cum voluptate excellentisſimi viri, N. N. munus illud acceperint: optimus vero noſter N. quanti & te & opus hocce tuum faceret, verbis exprimere vix potuit.

4 D. Fabricii Controverſiae placent mihi ſupra modum. Rogo, ut pro transmiſſo exemplari meo nomine gratias agas, donec hinc ad eum quid transmitti queat, non quidem eiusdem pretii, cum pari tamen benevolentia.

5 Conſiderationem tuam controverſiarum, inprimis contra Reformatos, diligenter legi ac relegi, cumque ſummam inde voluptatem me cepiſſe profiteor, id non auribus tuis, ſed veritati dare velim exiſtimes.

6 Sic decet theologum, loqui quod conſcientia iubet, & iudicia hominum pravo affectu excaecatorum parvi pendere. Veritas odium parit, etiam inter veritatis praetenſos profeſſores.

7 Tam impenſe veneror & amo D. Fabricium cum --- quam ullos alios chriſtianos & bono eccleſiae conſecratos theologos venerari & amare poſſum.

8 Tantopere ſingulari illa tua eruditione, atque incredibili tua humanitate, modeſtia, & manſuetudine me cepiſti, tibique devinxiſti, ut nihil magis optem, quam ut —

9 Ie vous ſupplie d' eſtre perſuadé, que i' ay touiours conſervé pour vous, Monſieur, des ſentimens tout particuliers d' amitié & d' eſtime, & que je me fairois un tres grand plaiſir de pouvoir vous le témoigner. Tout ce, que vos adverſaires peuvent dire & écrire contre vous, Monſieur, ne ſçauroit vous oſter l' eſtime & l' approbation, que vous donnent les honneſtes gens.

L 10 Con-

10 Considerationem tuarum variarum controversiarum avide ac summa cum voluptate legi: praeter enim profundam eruditionem & acre iudicium, quae passim in toto opere conspicua sunt, maxime mihi probatur sincerum illud nec infucatum pacis christianae studium, quod ubique ostendis. Omnino tecum sentio, totius ecclesiae dogmata ea tantum esse habenda, quae tota ecclesia sua esse declaravit; non autem quae a privatis doctoribus, nulla totius ecclesiae accedente approbatione, docentur ac defenduntur.

11 Opus tuum (*Considerationis*) inspexi, & eorum magnam legi partem, quae in earum negotio controversiarum, quae ecclesias nostras proxime spectant, earumque perfectam unionem hactenus impediverunt, disputas: quod non dubitabis a me cum magna factum esse voluptate & fructu. Vidi mox, esse te inter pacificos Israëlis, qui cum veritate amant pacem, & vero affecti sunt zelo instaurandorum Hierosolymae murorum, quorum fissurarum foedus est & luctuosus aspectus. Probavi itaque vehementer & laudavi hoc tuum consilium atque institutum: & vero praedicavi te beatum & felicem, quod in tanto aliorum nostri ordinis virorum numero, qui lites in caussa religionis ad extrema propellere solent, tu cum paucissimis forte (sed quorum ad tuam dissertationem lectam crescet numerus) meliora videas, & saniora eligas, & ab eo te duci patiaris spiritu, qui moderationis est & prudentiae, & omnes Christianos vere sic dictos, apud quos integrum est fidei fundamentum, ad mutuam pacem, concordiam, & charitatem inflammat, & hoc ipso charactere suo proprio a spiritu mundi & *διχοστασίας* vel maxime est distinctus. Quod cum demonstres in elegante & pia Praefatione, quam huic operae praemisisti, tum vero in ipsarum illarum controversiarum, quae nos concernunt, accurata pertractatione, meam, ut vere dicam, superasti etiam hac in parte expectationem, de tua aequitate & moderatione non vulgaria mihi essem pollicitus. Ita est, vir maxime reverende, lubens fateor, te mihi satisfecisse abunde, & nihil esse quod amplius desiderem. Non attulisti modo ad hanc disceptationem omnem eruditionem, peritiam, exercitationem, soliditatem, quam quis ab aetate, gravitate, dignitateque tua merito praestolari posset

posset: sed aequitatem quoque, moderationem, charitatemque tantam, quantam nemo cum ratione postulet maiorem.

12 Vere affirmare possum, conatus tuos explicandi controversias pios, prudentes, optumo deliberatos consilio, mihi aliisque vehementer probari. Et certe iam nunc retulisti optumum laboris tui fructum, quod publice constet, librum illum tuum erudite & prudenter elaboratum, doctissimis viris, & acribus etiam caeteroquin operum publice editorum censoribus placuisse; ut vere nemini displicere poteſt, nisi inquieti & turbulenti ingenii hominibus, qui tandem a domino Iesu confundentur.

13 In controversiis, vir celeberrime, multa habes docta, & erudita, quantum animadverti ex iis, quae percurrere legendo licuit. Quae habes contra Reformatos, maiore attentione examinavi. Vehementer mihi placuit ingenium tuum pacificum.

14 Quam aequo animo susceperint reverendissimi N.N. librum tuum, ex inclusa scheda perspicies. Nunc tandem hanc benevole epistolam accipe, grati animi testem pro eximiis quibus & me cohonestasti muneribus, ac egregiis plane libris, partim tuo, partim eius, quem maxima semper veneratione prosecutus sum, *Forbesii*, cui similem vix novi.

15 I have given you the trouble of this, to acquaint you, that, according to your desire, I delivered the two Books to my Lord Bishop of ---- which Doctor Fabricius was pleased to send to his Lordship. My Ld was very much pleased upon the perusing of them to observe, that as the learned Author had the honour to succeed the great *Calixtus*, so he had inherited a very great portion of his spirit; as he shews in his management of Controversies with so much temper and moderation. Such a disposition of mind, tho but seldom to be mett with in this age, being at all times absolutely necessary in the management of disputes among Christians. My Ld desires you would return his service and thanks to Dr. Fabricius, to whom his Ldship hopes in a short time to send his —

16 In tuis controversiis nescio quid magis laudem, summam eruditionem, portentosam librorum cognitionem, ingenii acumen, iudicii

dicii subacti soliditatem, sed inprimis summum pacis amorem, quem exosculor in T. R. Vtinam omnes theologi eodem pacis amore flagrarent: non tot rixas, tot pugnas ac certamina, nullos habitura triumphos, moesti videremus. — Laudare satis non possum tuam mansuetudinem & aequitatem, atque in te spiritum pacis agnosco. Legi, perlegi, & iterum relegam.

17 Simul significabam, quantum mihi perplacuerit Consideratio tua, & quantum laudem in nostris controversiis tuam lenitatem, tuum candorem, tuam aequitatem, tuum pacis amorem. Quod adhuc repeto.

18 Profecto tua erga nos lenitas, mansuetudo, humanitasque, omnibus piis placet, & placebit: nec debes curare rabiem eorum, quibus nihil nisi bella placent.

19 Vtinam iam olim plures vestrûm eadem, qua tu, sedulitate libros nostros symbolicos & confessiones publicas legissent: non tot absurda nobis fuissent imputata. Quid enim ad nos dura quaedam *Calvini* aut aliorum theologorum verba? an in haec iuramus? num illi sunt norma fidei nostrae? an alius praeter verbum Dei est canon? anne iudicandi sumus ex rigidis illis alterius partis theologis, qui nobis nescio quae affingunt?

20 Hoc autem non possum praeterire, D. Fabricium apud viros eruditos in Hollandia, libro *Considerationis controversiarum* magnam sibi famam acquisivisse, & pro pacifico theologo ab ipsis haberi, caeteroquin etiam literatis bene notum esse, interque eos aestimari.

21 Quantum mihi de felici ex Britannia Belgioque reditu gratularis, tantum tibi, vir celeberrime, gratulor de fama nominis, quae omnes quas adii terrarum oras iam pridem pervasit. Nullos cum Batavis doctoribus contuli sermones, quin perhonorifica tui fieret mentio. — Atque hic quidem tantus vir, dici vix potest, quantopere gavisus sit illa Dissertatione tua, quando idem ultro fassus est, scriptis se tuis mirifice delectari. Britannis, quod bene memini, saepius & laudatus es, & inter ornamenta Germaniae numeratus.

Ita

* * *

ITa iam habes, benevole & honorande Lector, testimonia & iudicia virorum eruditorum de Consideratione nostra: in quibus sunt, fateor, quae invidiam excitare queant; sed & alia erant, quae illam plurimum augere potuissent, ideoque a nobis suppressa sunt, sicut curiosis oculis facile ostendi a nobis posset. Absque importunitate adversariorum, meique & libri mei contemptu fuisset, ne illa quidem, quae superius allata sunt, hoc loco produxissem & communicassem. Sed quid? Aliorum vitio detrudimur quandoque in vitium aliquod, aut certe in aliquid, quod vitio simile videtur. Sic accidit ipsi *Paulo apostolo*, ut contemptum sui non posse a se melius removeri iudicaret, quam vera gestorum & qualitatum suarum enarratione, quae tamen ad vanae gloriae aucupium accedere videbatur, adeo ut invidiae & calumniae declinandae causa, triplici ac modesto hoc praefamine uti necessum haberet: (*) κατὰ ἀτιμίαν λέγω· ἐν ἀφροσύνῃ λέγω· παραφρονῶν λαλῶ. id est, *contumeliae respectu dico: per defectum mentis dico: ut desipiens loquor.* Itaque si voti mei, ut nullo exhibita illa aliorum testimonia mordeantur fascino, compos fieri nequeo, dicam & fatebor cum apostolo, me illa

* 2. Cor. 11, 21-23.

contumeliae respectu, & ut desipientem deprompsisse, id est, cum desipientibus desipuisse. Qua ratione invidia, eiusque sive filia sive soror calumnia, non habebunt, ubi dentes suos figere, atque id, quod necessaria defensio postulavit, pessimam in partem interpretari, & quasi vanam gloriationem traducere possint. Sed nunc ad alia.

VIRORVM ERVDITORVM
DE
GVLIELMO FORBESIO
TESTIMONIA ET IVDICIA.

1 Ex vero dicere possum, me semper agniturum librum Forbesii, ut syllogen notionum mearum theologicarum rariorum & acroamaticarum, quas nunquam hactenus collegi adeo plenas, uti in libro illo repetio. Nihil exactius cum meis cogitationibus convenire potest, quam quod scriptum isthoc tradit. Non possum satis exprimere, quam carus mihi futurus sit hic liber, & quantum incrementum sumserit meus erga editorem amor & reverentia.

2 Nisi mihi D. Fabricii solida theologica eruditio & moderatio ex ipsius documentis nota esset, satis illam ex editione Forbesii colligere & cognoscere possem: sicut enim Forbesius res theologicas profundius, quam alii theologi, consideravit, deque iis cordate iudicavit, ita D. Fabricius & eruditionem & prudentiam suam eo testatus est, quod scriptum tam utile iteratis typis subiicere voluerit.

3 Quoad librum Doct. Forbesii, multum tibi debeo: quamvis enim non plane ignotus esset ex variis locis a viris doctis allegatis, tamen huius

huius copia penes me non erat, nec extabat in hac urbe. Summus sane fuit vir.

4 Dudum mihi notus erat Gul. Forbesii liber, quem dolebam tam vitiose editum esse, ut legi sine nausea ferme non posset, propter innumera menda, cum alioqui lectu dignus esset. Vir fuit in recentiorum praesertim theologorum scriptis versatissimus, & acuto sane iudicio praeditus. Pondus controversiarum prudenter expendere noverat, & ambiguitates verborum egregie discutere poterat, ita ut pugnantes specie sententias in concordiam feliciter redigeret: quod in controversia de iustificatione pulcre praestitisse videtur. Quam ob dexteritatem laudatur etiam ab omnibus pacis & moderationis amantibus *Ludovicus le Blanc*, professor olim sedanensis. Gaudeo sane esse, qui eandem viam pacis & concordiae, quoad eius fieri potest, munire conentur; nec quidquam ardentioribus votis optarim, quam videre tempus, quo, ut cum Grotio nostro loquar,

Sint consonantes semper omnium linguae,
Aut corda saltem; praepotensque vis lucis
Caliginosas litium fuget sordes.

5 Forbesio similem vix novi.

* * *

PRaecedentibus Testimoniis subiungam ea etiam, quae Forbesii libro in novissima eius editione praemissa sunt, quorumque auctores vel fatis concesserunt, adeoque extra invidiam & odium, metumque & periculum positi sunt, vel in publicis suis scriptis ea perhibuerunt; ut ita eorum nomina citra ullam dubitationem exprimere heic liceat.

Paulus

Paulus L. B. a Fuchs, in literis ad I. Fabricium.

Nomen Forbesii diu mihi notum fuit, ast scripta eius legere nondum mihi contigit: quare eo magis me tibi obstrictum profiteor, quod copiam eius mihi facere volueris. Tuum etiam nomen per egregium illud opus inclaruit, dum orbis literatus tibi nunc Forbesium debet, & hic suum natalem.

Ludolf. Hugo, ad eundem.

Valde salutare & utile opus, edendo scripta Forbesii, & *Epitomatoris* Regulae Veronianae, utpote viam ad pacem ecclesiasticam, praestitisti. Obligatum etiam me profiteor pro exemplari mihi transmisso.

Walenburchii fratres.

Forbesii, ut doctissimi & pacifici theologi, verba saepius allegant in suis operibus, ut tomo II p. 520. 542. 549. 608.

D. Sam. Strimesius in Brevi Delineat. Consens. Lutheran. & Reform. in fundamento fidei, p. 63.

Vtrumque dicunt Reformati, idemque tam corde, quam ore dicturi sunt semper, sicut iam supra testati sumus verbis Calvini & Trelcatii: quibus iam subiungimus ab aliis etiam adducta verba episcopi quondam edenburgensis, Wilh. Forbesii, in ipsius Considerationibus pacificis p. 563. & 564 novae editionis: *Corpus & sanguinem Christi vere, realiter & substantialiter in eucharistia adesse & sumi, sed modo humano ingenio incomprehensibili.*

Idem de Consensu Sendomir. §. 13.

Reverendissimi Guilhelmi Forbesii, episcopi quondam scotobritanni, doctissimum opusculum, abbas itidem doctissimus luterensis, D. Io. Fabricius helmstadiensis, nuper edidit.

TE-

TESTIMONIA DE VERONIO.

Walenburchii Tomo I. p. 163.

Magnum in hoc negotio subsidium attulit eximius D. Veronius, docens, quaenam apud nos sint fidei catholicae, quaenam inter doctores catholicos, salva unitate fidei, salva compage charitatis, controversa, aut minus certa. Cuius viri scientiam e doctissima societate Iesu prodeuntem veneramur, sententiam longo usu fundatam libenter sequimur, & labores optimo successu a Deo dotatos honoramus.

Iidem in Admonit. ad Lectorem praemissa Regulae fidei cathol. D. Fr. Veronii.

Cum anno praecedenti initium fecissemus de constituenda Regula fidei catholicae, ut in finem magni momenti serviret, opportune factum est, ut incideremus in Tomum III. eximii D. Francisci Veronii, qui in eiusdem Parte V. posuerat Regulam fidei exactam & copiosam. — Aestimamus hunc tractatum adeo excellentem, ut merito plurimi fiat apud illos, qui operam salutarem impendunt reducendis errantibus ab haeresi & schismate ad unitatem veritatemque ecclesiae catholicae.

Henr. Marcellius in Sap. pacif. p. 158.

Quin etiam increpatio illa apostolica, temperanda est moderatione & humanitate, quam semper adhibendam censeo in disputationibus sacris. — Hoc genere scribendi eximiam laudem promerentur *Cottonus*, *Sirmondus*, *Veronius*, *Holstenius*, *Allatius*, *uterque Walenburgius*, *Ranzovius*, serenissimus princeps *Ernestus* Hassiae Landgravius, alique complures, non mansuetudine minus clementiaque, quam eruditione & sanguine illustres

Adolph. Godefrid. Volusius in Aurora pacis relig. p. 9.

Sic non agit vir ille (S. M.) theologum, sed insignem agyrtam, quo scommate petit celeberrimum Veronium.

Autor Secretionis, seu Compendii Regulae fidei cathol. Veron. in Praefatione.

Quapropter ab re non alienum duxi, Synopsin hanc regulae fidei, utraque (*credenda & non credenda*) accurate distinguentis, ab eximio D. Francisco Veronio olim compilatae, & primo ab omnibus in universitate sorbonensi SS. theol. doctoribus approbatae, & deinde in conventu generali A. 1645 ab universo clero gallicano receptae, atque a doctissimis Dd. Walenburchiis plurimum laudatae, prelo subiicere.

* * *

ATque haec Testimonia & Iudicia de Forbesio & Veronio exhibere hoc loco voluimus, ut os obturetur illis, qui eos ne quidem apud suos valere, & auctoritatem habere aiunt. Puerile autem & ridiculum fuerit, si quis ad omnes voces & apices horum testimoniorum nos teneri, iisve pollicem premere, exinde argumentari & concludere vellet: nam qui aliorum testimonia & iudicia adducit, is relatorem agit, non vero censorem, aut in omnibus approbatorem. Id quod, calumniam evitandi causa, denuo heic profiteri & declarare volui.

FINIS.

CORRIGENDA.

Pag. 6. lin. 6. *dele* & ignominia. Lin. 17. si quis mihi obtingeret. P. 12. l. 10. illius. P. 13. 27. & Reformat. p. 3. P. 18. 15. *dele* eam. P. 20. 21. Obi. 27. P. 42. 24. Curcellæanum. P. 46. 22. qui. P. 49. 13. quod.